2

DE BALNEO

Thermali, Lixignano vocato,

NECNON DE LVTO BARBOLIORVM Medicato, in Ducatu Parmensi,

Tractatus

HIERONYMI ZVNTHI,
Philosophi, ac Medici Parmensis.

In quo breuiter docentur modi reales vtendi, & aquis, & luto Thermali in communi, pro curandis varijs morbis, & occurrendis symptomatibus, quæ in administratione diuersorum vsuum frequenter contingere solent.

AD SERENISSIMVM

RANVTIVM FARNESIVM,
Parmæ, Placentiæ, &c. Ducem IV.

VIRTVTI SIC



CEDIT INVIDIA.



VENETIIS, *Apud Hæredem Damiani Zenarij*. M. DC. XV.

Permissu Superiorum, & Priuilegio.



SERENISSIMO
RANVTIO
FARNESIO
DVCI IV. PARMAE,
PLACENTIAE, &c.



Hieronymus Zunthus Medicus. F.



VI merces bonas,à paucis tamen cognitas, in alienas ciuitates per varios locos conducturus, commutaturus,& venditurus ſit, mirè cupit, ac ſummo ſtudio ſemper quærit illas publicare, ac tradere,vel ſub nomine loci,vel rei, vel ſub ſplendore alicuius perſonæ multis cognitæ, vt ſecuritatem mercium ſuarum publicè colligat, ac alijs facilius, & vtilius diſtribuat. Sic ego, Sereniſſime Dux,volens Typis dare,ac in lucem proferre virtutes,ac facultates aquæ Balnei Lixiniani,

ac luti Barboliorum, & Ripæ Altæ, in ditione tua Parmensi, quæ hactenùs multos latuerunt; sicut etiam, qua arte, quo magisterio, & quotidiano vsu nostris temporibus exhiberi, parari, ac administrari debeant, tum ratione, tum experientia multorum ægrotantium, cum salute ab eis acquisita, vt securius hoc fiat, statui sub nomine, splendore, ac patrocinio Altitudinis tuę in publicum conspectum Medicorum exire, ac apparere; cum nomen tuum per vniuersum Orbem splendeat, ob famam tuarum rerum gestarum: tibique adeò tota familia Zunthorum est obligata, & deuincta, propter dignitates, & honores, quos fratri meo Iurisperito contulisti, & in dies viuo beneuolentiam ostendis, & ad noua beneficia te facilem ac promptũ polliceris, vt qui nunc adsunt, quique futuri, semper & vitam, & studiorum suorum facultatem, resque suas tibi, tuisque posteris Farnesijs promptè enixeque debeant, & vouere, & exhibere. Modò cum Parmense Gymnasium antiquissimum, sed bis derelictum, tanto decore, lumine, & ornamento ciuitatis tuæ, Serenis. Princeps, renouasti, citissimeque instituisti; poteris etiam pro maiori honore, & laude huius tuæ Academiæ, ad vitæ vsum, & ad vtilitatem publicam conducentia, his temporibus renouare Balneà ista Lixiniana, & curare alia in hac tua iurisdictione, quæ sunt multis abscondita. Omnia enim ferè Italiæ Gymnasia publica Thermales aquas, & Medicatas, tanquam res magnas, Diuinas, ac admirandas ad salutem hominum, &

aduer-

aduersam valetudinem propulsandam, habent sibi vicinas: quare si quid deficit in his Lixinianis Balneis ratione antiquitatis, pro recta, vtili, modernaque eorum administratione, præcipere poteris, vt reparentur, ac publici commodi causa vtilitatisque restaurentur. Quid enim prodest inuentum omnibus laudibus elatum, nisi sit iugiter custoditum? Non enim minor in conseruandis rebus, ac custodiendis, quàm in inueniendis cura adhibenda est; quandoquidem si initiorum prædicatio debetur inuentori, ijs sanè custodiendis acquiritur laudata perfectio possessori; vt antiqui illi Comites tibi meritò debeant laudes, quorum fabricis dederis longissima tempora. Aura ergo suauissima tui nominis insignita radijs solis tuæ Altitudinis reluceant nouiter Balnea ista Lixiniani; & quemadmodum aqua est singularis, & magnæ virtutis; sic facias obsecro, vt fabrica, antequam senectute confecta sit, nunc omnibus admirabilis, & tanta ac talis ornetur, vt omnis pulchritudo cum vtilitate infirmorũ, ac delectatione reparetur, & constructio fabricæ perficiatur, vt causam tanti remedij æger cognoscat, cum de tua benigna voluntate nemo dubitet, si animi magnitudinem admiretur. Sed omnia facilè feceris, si donum hoc nostrum, summæ seruitutis, ac obseruantię in te, familiæ Zunthorum signũ, licet leue, atque exiguum non aspernaberis; sed animi tui iucunditate cum voluptate accipies, publicæ vtilitatis gratia; præstent ergo optatum Diuina beneficium, vt fama Balneorum horum Lixiniani

verissi-

verissima tua gratia noscatur apud longinquos, ac maximè crescat. Vale diù fœlix: Te bene fortunet semper D. O. M. & diutissimè incolumem seruet, ac tuos descendentes. Familiam Zunthorum tibi summopere deuinctam, beneuolentia qua soles prosequaris, vt posteris relinquens famam, ad maiora virtutum desideria concitentur.

Parmæ, Kal. April. M . DC . XV.





PERILLVSTRI,

atque Excellentiss. Collegio

DOCTORVM ARTIVM AC MEDICINAE STVDII PARMENSIS,

Hieronymus Zunthus eiusdem Collegij

S. D.



ONTINGIT *sæpenumero, vt ea, quæ magis optamus, difficilius consequamur. Sic ego difficilè inueni, posse fœliciter experiri virtutem aquarum nostrarum de Lixiniano: quibus morbis præcipuè salutares inuentæ sint antiquitùs à Romanis, & ab alijs, propter paucum vsum ipsarum apud nostros antecessores, ne dicam coetaneos Medicos, cum ferè nihil scripserint, neque docuerint. Quare facta diligenti destillatione ipsarum, cognitisq; mineralibus contentis, et facta comparatione cum alijs aquis mineralibus medicatis, quæ continuò sunt in vsu apud celeberrimos Medicos, pro diuersis morbis; dijudicaui, si illæ iuuant, atque prosint tali, vel tali morbo; quia continent tot salis, aluminis, & sulphuris,*

vel

vel similium mineralium, quòd etiam eadem ratione, pariquè passu, nostra de Lixiniano, vel Barboliorum, & Ripæ Altæ, quia continet tot salis, aluminis, ac sulphuris, aut erit maioris virtutis, & effectus in tali vel tali morbo, aut minoris, quia maiorem vel minorem quantitatem ad pondus extractam, huius vel illius mineralis habet; quæ omnia considerans, dum diuersas aquas Thermales separatim in eodem pondere, ac aliquando mensura sæpe destillauerim, ac naturam earum perscrutauerim, ad scribendum hoc opus, qualecunque sit, pro debili meo ingenio, quãdo dabâtur aliquid temporis, eo animo accessi, vt studiosis publicæ vtilitatis præbeam occasionem considerandi, & componendi alia maiora & meliora de Balneo Lixiniani, atque de luto Barboliorum, & Ripæ Altæ, nec non horum aqua medicata, dum experientia fiet; illosq; valde excitẽ, qui in arte Medica, assidua, & diuturna exercitatione multa adnotauerint, atque obseruauerint, ea huic nostro labori addere; plurima namque hodie inueniuntur, quæ apud maiores nostros nõ fuerunt in vsu. Quare ea occultare indignum est, quæ ad salutem hominum plurimum conducunt. Læta ergo fronte & animo leue hoc opus legite, boniquè consulite, & si quis considerabit naturam, facultatem ipsius, & ad vnguem seruabit, quæ scripsi (ni fallor, subijciens me saniori iudicio) de modo, de tempore, quæ ante, quæ in ipsomet vsu, & quæ post sint obseruanda, in morbis, quibus conueniunt, nunquam à concepta spe, ratione, & experientia comprobata, de Balneo isto Lixiniano, ac de luto Barboliorum, & aqua Ripæ Altæ, ipsiusquè luto recedet. Valete, meque amate, Deus vos fortunet; & cum facilis sit cuiusque lapsus in scribendo, ea modestia in corrigendo, ac castigando vtamini, qua alios in rebus vestris vti velletis. Parmæ ex Ædib. nostris, Kal. Apr. 1615.




INDEX CAPITVM HVIVS OPERIS.



Index Capitum.





INDEX RERVM
NOTABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.



A





ERRORVM CORRECTIO.

pag.	2	lin.	22	bonum	lege	bonum.
pag.	3	lin.	31	Lixianianæ		Lixiniani.
pag.	7	lin.	8	medicaæ		medicatæ.
pag.	ead.	lin.	23	quoddam		quendam.
pag.	14	lin.	3.4	posisitæ		positæ.
pag.	ead.	lin.	34	teuenda		tenenda.
pag.	22	lin.	22	calida		calidæ.
pag.	26	lin.	4	clysterilibus		clysteribus.
pag.	37	lin.	24	eodamque		eademque.
pag.	59	lin.	21	artificlale		artificiale.





A . M . D . A . S.

PRAEFATIO.





SI ad Mortalium omnium vſum, ac neceſſitatẽ conſpiciamus, vix aliud præter Aquam reperiemus, ſine qua vita Animalium omnium cõſtare, & conſeruari non poteſt: in cunctis enim Naturę operibus neceſſaria eſt ipſa Aqua, de mente Philoſophi Principis Peripateticorum: præcipuè tamen aut elegantiæ corporis gratia, aut ſanitatis, aut ad vſum humanæ vitæ pro parandis cibis, & alijs ſibi neceſſarijs ex Gal. 3. in acutis; quem ſequitur Auic. lib. 1. fen 2. D. 2. cap. 16. quando dicit, Aqua inter omnia elem. habet hoc proprium, vt in eo quod comeditur atque bibitur ingrediatur, faciens penetrare citius nutrimentũ in venas; At aquæ quædam excedunt naturam aquæ ſimplicis, ac potabilis, dicunturque Medicatę, & diuerſificantur ſecundum illud, quod in eis admiſcetur, & ſecundum qualitatem ſuperantis mixturæ acquirunt aliquam vim medicamentoſam, quam corporibus communicant: Hinc Balnea Naturalia aquarum Mineralium, ſeu Therm. publica ad delitias, & voluptates, pro abluendis corporibus, & expurgandis excrementis, in vſu fuiſſe frequentiſſimo apud antiquos omnes Græcos, & Romanos, nemini debet eſſe dubium: De hoc legatur Gal. 3. ſecundum locos in princ. 4. li. de ſan. tuenda, & 6. lib. de Trem. 5. 4. aphor. 29. ac alibi. Plin. lib. 26. cap. 3. & lib. 31. cap. 2. & 6. Dum caruerunt Antiqui Romani Medicis, omnia vitia, & affectus communi quodam vſu Aquarum Medicatarum ſponte, & naturaliter ſcaturientium curabant, vt habetur ex eodem Plinio lib. 29. cap. 1. Sic Hip. 3. in Acutis dixit Balneum multis modis confert, loquendo in vniuerſali, vnde pluribus etiam in locis dirupta veſtigia ipſorum Balneorum medicatorum clara ac manifeſta

adhuc conspiciuntur, ratione sanitatis ad calefaciendum, ad refrigerandum, ad siccandum, ad humectandum, & roborandum membrum, per quod præcipue transit aqua, vel eorum virtus communicatur. Non sunt æqualia virtute & modo omnia naturalia Balnea: Sic experientia duce, casu tamen inuenta (vt audietis) aliquorum balneorum facultates in re Medica propter exploratam eorum naturã hominibus conspicuæ factæ sunt, & frequentissime vsitatæ in diuersis morbis curandis. Demum per Analogiam quandam ad similia trãsiens, posteris seculis in diuersis morbis, ab eadem causa materiali genitis, vel finali comprobatæ, annorum vsu receptæ, rationeq́ue confirmatæ, ac certificatæ fuere, propter Medicatam aliquam ex diuersis mixturis mineralium conceptam, & acquisitam qualitatem, vt patet apud Aetium. T.3.serm.3.c.36. de mente Archigenis, in affectibus vesicæ. Strabo lib.5. loquitur de alijs aquis medicatis, atque Scribonius Largus antiquus Italiæ Medicus cap.38. nominat quasdam aquas calidas in Tuscia vesicarias, quia mirifice remediant vesicæ vitia. Confirmat hoc Marcellus Græcus cap.26. ad tumorem, ad dolorem, & exulcerationem vesicæ, ac aliarum partium, dicens, Benefacit aqua potu, in qua ferrum candens dimissum est; Hoc tractum est ab aquis calidis, quæ sunt in Tuscia Ferratę. Fallop. inter laudatos, quẽ sequuntur Recentiores c. 10. scribit balneum Aquarij in Ducatu Estensium à pastoribus casu fuisse inuentum, anno 1448. ad vesicæ, renum, & pudendi affectus bonum, qui sanguinem mingebant, ac à Medicis illius temporis analogia quadam in vsum receptum, in affectibus vesicæ pro hominibus. Baccius quoque lib.4. cap. 12. narrat de quodam luto in Senensi agro experientia primum cognito, Bobus illic innatantibus, quibus ex vomere ferreo pedes vulnerati mirè sanabantur. Simile narratur de Balneo Porretæ casu inuento; quando bos tabescens derelictus, fatali quodam instinctu à Cognitore naturali has aquas bibens, breui conualuit, vt ab omnibus ostenderetur. Sic multi inde ausi sunt eam experiri, & narrare ipsius virtutem medicamentosam. Plin. lib.31. cap.2. de mente Ciceronis pro admirandis, scribit vngulas iumentorum indurari paludibus Reatinis; & multa alia inueniuntur scripta de origine inuentionis aliquorum balneorum pro curandis morbis, vt Oribas. dicat vires aquarum Therm. potius obseruatione quadam, ac quotidiana experientia, quam ratione, & discursu, prænosci, sicuti multa medicamenta ab animalibus ex Plutarcho de comparatione animalium habentur.

Cum ergo aquæ Therm. Medicatæ propriè, & verè ponantur inter Medicamenta, ad animalis vtilitatem non solum in profligandis morbis incipientibus, ac leuibus, verum in antiquis, ac ferè deploratis; quinimmo in conseruandis, ne dicam renouandis, rectificata (vt dicitur) complexione patientis: Sunt nunc in vsu apud Medicos omnes, & rationales, & empyricos, nullo auxilio ac vsu aliorum remediorum; iteq́ue

reque scriptum reliquit Aretheus de causis, & notis diuturnorum affectuum cap.4. Origo aquæ Thermalis ita mirabilis est, & præter hominum opinionem, vt dicatur Sacra, quia non humana ope, sed Diuina, sanet languores hominum, quia eorum principia, ac causæ nos penitus latent; cum exacta mixtio seu vltima forma Thermarum, nec perfectè cognosci, nec dici possit: Ita antiqui, ob occultam, & admirandam quandam prærogatiuam, omnia magna medicamenta Sacra nominare consueuerunt; vt colligitur ex Ruffo Ephesio de appellationibus partiũ corporis humani lib.3.cap.4. & Arist.24. probl. vlt. dicit Balnea dicuntur Sacra, quia à sacris & occultis rebus fiunt, cum per effectus cognoscatur admiranda eorum virtus; vt dicat Gal.6.de tuenda valetud. c.9. Satius est huiusmodi aquas experientia discernere, quando etiam raræ inuentu sunt; sicut contingit de vino medicato viperino ad lepram, susorijsque à Galeno relatis 9. simpl. medic.1. Quæ omnia, & Beatæ Virg. Diuo Petro, Diuo Bartholomeo, ac Sanctæ Helenæ in agro Patauino, ac alijs Sanctis in diuersis locis, à quibus Balneum aliquod particulare nomen accepit, sæpe sæpius tribuenda sunt, qui eam virtutem medicamentosam, gratia impetrata à summo Opifice, nobis ostenderint, aut significauerint, & reuelauerint. De modo vero & reali Balneorũ, & luto Therm. medic. in communi vtendi, & quæ sint obseruanda rationabiliter in omnibus balneis Thermalibus, breuiter & compendiosè agere decreui; ne tanquam Empirici & vulgares, nulla habita consideratione conuenienti, & requisita ad vsum artis rationalis mittamus confusè, & imprudenter ægros ad Balnea nostra Lixiniana nec non ad luta Barboliorum, magno periculo vitæ illos exponamus, propter diuulgatam quasi licentiam vsurpandi balneum thermale cuiuscunque arbitrio suo, vt verificetur prouerbium illud antiquorum, Balnea, vel sanant, vel interficiunt, nam minimus error in principio redditur maximus in fine, ex primo de cœlo tex.33. Sed vt verè Methodici, siue Medici rationales, cognita natura ipsorũ balneorũ, cognitoque morbo, temperamento patientis & tutò & cũ ratione valeamus iudicare, num aquæ nostræ Lixianiani ægrotis aliquibus prosperè sint profuturæ, nec ne, si præparationes fecerint conuenientes, & ex vsu artis: & id eò magis, cum ab omnibus, qui de Balneis scripserunt, ac Typis mandarunt, omissum sit hoc Balneum Thermale & medicatum Lixignani in Ducatu Parmensi & aliud Barboliorũ: licet pauca quædam dixerit Granaldus Poeta Parmensis, & Fallop. cap.6.& 8. de Barboliorum luto. Sunt tamen antiqua, & propriè Thermalia, medicamentosa, propter magnam mixtionem mineralium in eis contentorum, & propter longum tempus ipsius durationis, & conseruationis in sua perfectione, ad vsum Medicinæ, cum maxima ægrotantiũ vtilitate. Et torrens quoddam ibi vicinum ab ipso forsan balneo Barboliorum desumpsit nomen, cum ab omnibus vulgò dicatur, ac nominetur

minetur Terma seu Terminella. Natura ergo parens nostra amabilis ab ipsius cognitore habuit, vt vires aquæ medicatæ pluribus modis nobis ostenderet; Sic memores semper debemus esse omnium vsuum, propter vtilitatem ægrotantium; non enim quilibet vsus indifferenter est idoneus, & vtilis cuilibet vitio corporis nostri, sed vni vnus, alteri alius magis iuuabit secundum exigentiam affectus: Quare incipiam aliqua scribere D.O. fauente de balneis in communi. Et si aliquis breuibus cupit scire virtutes aquarum naturalium medicatarum, legat Paulum libro primo cap. 52.

De modo cognoscendi aliquam aquam esse Thermalem, seu Medicatam. Cap. I.

PLVRES constituuntur à Doctoribus, & Scriptoribus Medicatarum aquarum conditiones, quæ si reperiantur in aliqua aqua sponte scaturiente, necessariò erit iudicandum, atque asserendum, illam aquam esse Thermalem, & medicamentosam, non autem exactè puram, ac simplicem, pro auxilio, & faciliori penetratione nutrimenti, cum Auic. vnde Gal. 1. de simplic. medicamentorum facult. ca. 5. gustu, visu, & odore, siue cum alijs, sapore, odore, colore, pondere, caliditate, & effectu docuit nos cognoscere, quomodo aqua mineralis, & mixta à simplici cognoscatur, & discernatur, pro potu communi sanorum hominum, Fallop. cap. 2. & 8. lib. de aquis Medic. reduxit ad 8. conditiones. Prima ergo conditio constituens naturam, & essentiam aquæ Therm. ob Diuinas in re medica facultates, est, vt valeat corpus nostrũ suapte natura alterare, permutare, & fouere, siue id faciat actu, siue potentia, vel intus assumpta, vel extra applicata. Secunda est vt perpetuò è terra exeat, & prosiliat. Tertia vt sit subtepida, vel feruentissima: Additur etiam à me, quòd potest esse frigida in superficie terræ, ac dum exit, semper talis reperiatur, siue Aestas sit, siue Hyems, & habeat medicamentosam facultatem, vt dicetur. Quarta conditio est, quòd aqua non sit simplex, sed cum aliquo minerali, non tamen venenoso, vel pluribus mixta. Quinta quòd habeat aliquem saporem ipsius mineralis mixti, vt salis, sulphuris, aluminis, nitri, ferri, vitrioli, vel similium. Sexta quòd aqua habeat aliquem colorem. Septima, quòd sit aliquo odore donata. Octaua, quòd substantia & consistentia sit crassa, ac ponderosa respectiuè, & quòd communiter ad conficiendum panem, parandosque cibos, pro sanis bona sanitate fruentibus, non sit in vsu, quinimmo ab ea maximè lædantur. Quæ omnes conditiones reperiuntur in aquis Ducatus Parmensis, vt Lixiniani, Barboliorum, Ripæ altæ, & absque dubio in alijs aquis medicatis eiusdem Ducatus; quæ iacet aspernabiles,

&

& inutiles his temporibus, vt aqua vulgò Puzola in Marchionatu Tabiani, vel illa Miani, & alia S. Andreæ & ſalſi Minoris, ac aliæ ſimiles, quæ tamen eſſent proficuæ, & vtiles multis ægrotantibus. Has Deo adiuuante ſperamus reduci magis ad vſum Medicinæ à Doctoribus, & Lectoribus, in ſtudio noſtro Parmēſi, deinde ab alijs Forenſibus Medicinæ ſtudioſis, poſtquam legerint hunc noſtrum, qualiſcunque ſit, tractatum. Deueniens modo ad aquam noſtrã Lixiniani, dico quòd primo valet corpus noſtrum alterare ſuapte natura, ſiue intùs aſſumpta, ſiue extra applicata, vt infrà patebit dum agemus de ipſius aquæ facultatibus. Secundò perpetuò è terra exit, ſtillat, percolatur in puteum arte fabricatum, per venas terræ, & per partes concauas circum circà ipſius putei; ſemper enim adeſt perpetua & continua generatio ipſius aquæ, ſiue Aeſtiuum, ſiue Vernum, ſiue Autumnale fuerit tempus, eodem modo, eadem ferè quantitate erumpit, ac cadit.

Non eo tamen inficias, quin aliquando quantitas aquæ balnei poſſit diminui, vt fit communiter in puteis atque fluminibus, ſed parua admodum erit diminutio illa, ac ſcatet in loco nõn procul à radice montis. Obſeruauiq; eo anno, quo vtebar balneo, gutta, & luto, pro tumore in genu, ex rotula per medium fracta, quòd licet Parma, nec Terminella aquam haberent, & fluerent, tamen in puteo aderat ſua ſolita quantitas aquæ ad octo brachia, & aliquando plus. Tertiò erumpit frigida, & excauatur frigida; cum enim faciat longum iter per ſaxa, ac loca frigida, antequam colligatur in vnum locum, continue in tranſitu exhalat aliquid vaporis calentis adepti; hac de cauſa egreditur aqua iſta Therm. medicamentoſa frigida: quamuis in ortu ſuo forſan ſit calidiſſima, vt conijcio ex voragine quadam, vulgò le Barboie, quæ eſt reſpectiuè calidior, ſiue tepidior. Quicquid ſit aqua Aquariana in Ducatu Mutinenſi, & Tranſcheriana in agro Bergami, & aquæ Ticinenſes Reſrubij, Fons Agnani Corſenæ, ac multæ aliæ, & nouiter aqua Gagatina Grafagnanæ erumpunt, ſcatent & hauriuntur frigidæ, multique ſunt valoris, ac æſtimationis in Medicina, cum valeant multum, vtileſque ſint ad fugandos, & curãdos diuerſos morbos. Quartò nõ ſimplex eſt aqua iſta Lixin. ſed mixta cum pluribus metallis. Quintò habet ſaporem ſalis, & aluminis. Sextò ſulphuris odorem repræſentat. Septimò ponderoſior, craſſior, denſiorque eſt cæteris aquis circumcirca naſcentibus. Vltimò inepta eſt ad parandos cibos pro ſanis & adſunt circumcirca multi putei aquæ dulcis bonæ, vnus præcipuè apud Eccleſiam, in colle, & alij in planitie per tractum bombardæ, cum multis habitationibus commodis.

De

De quibusdam differentijs Balneorum. *Cap. II.*

NATVRALES aquæ, quæ Medicatam aliquam ex quibusuis mixturis metallicis conceperint qualitatem, communiter Balnea Naturalia aquarum ſponte è locis ſubterraneis ſcaturientium à Græcis θερμαὶ dictæ, Thermales quoque à recentioribus nuncupantur: quoniã omnes iſtæ ſcaturigines aquarum Medicatarum ſiue eruptiones calidæ ſunt vel actu ſcilicet calore naturali, ab igne ſubterraneo in ſuo ortu, & tamen virtus, ac facultas earum eſt frigida, vel potentia ſunt calidæ, licet actu ſint frigidæ: Differunt tamen per magis ac minus, ſiquidem aliæ proſiliunt è terra ſubtepidæ, aliæ tepidæ, aliæ feruentiſſimæ: Reperiuntur tamen aliquæ, quæ frigidæ naſcuntur, licet pauciſſimę, arte tñ calefactæ bibuntur, & ad alios, & alios vſus accommodantur in Medicina, cum habeant facultatem calefaciendi, vel contemperandi; & hoc eſt, quod dixit Gal. 3. de tuenda 4. agens de balneis, quòd triplex eſt vſus balneorum aquarum dulcium, primo calefactarum, ſecundo frigidarum, tertio ſponte natarum. Quarum aquarum ſponte natarum alię mediæ ſunt temperie, aliæ feruentes, aliæ tepidæ, aliæ omnino ſunt frigidæ: vnde Orib. 10. collect. cap. 5. ex Herodoto mentionem facit de aquis modo calidis, modo frigidis ſponte naſcentibus. Ariſtot. quoque 24. Proble. 17. & 2. Meteor. cap. de ſalſedine maris, dicit aliquas aquas erumpere frigidas, & tamen eſſe medicatas: credendumque eſt, vt inquit ſpeculantiſs. Fallop. cap. 1. & 7. quòd tales aquæ actu frigidę in ſuo principio, hoc eſt in canalibus ipſius, ſiue cuniculis ſubterraneis remotis à ſuperficie terræ, calidæ & ipſæ ſint aliquo modo, & quamuis continuè eleuentur vapores aliqui, diù tamen cõſeruãtur: Tanta enim eſt adeo optima mixtio, ac elegantiſſima, rerum quas in ſe continent, proueniens ab intenſo, & validiſſimo calore digerente, ac concoquente, vt nec à magna commotione, agitationeque, nec temporis diuturnitate valeat diſſolui, commutari, atque corrumpi, vt congenita, & vniformis ſit, gratia diuinitùs accepta: amittunt verò caliditatem tum per longum iter, quod faciunt, antequam è terra reſiliant, & erumpant, tum per loca frigida, per quæ tranſeunt, tum per continuam exhalationem vaporum calidorum ab ipſis eleuatorum: Exemplum notorium eſt de aqua Aquariana, quæ in ſua origine exit frigida actu, ſeruatur tamen incorrupta, & integerrima extra proprium locum multis annis, atque defertur in longinquas partes: Et Patauij ſupra portam Hoſpitij, & Tabernæ communis balnei Apponitani, ſcriptum eſt litera rubra, vt ſæpe legi, à diuerſis in longinquas terras fuiſſe portatam, atque etiam ibi à quodam illuſtriſſimo Viro potatam, manentem ſemper incorruptam, & ſeruantem eaſdem qualitates, ac virtutes, vt Fallop. loco dicto bibẽs hanc aquam

Aquarij

Aquarij extra proprium fontem,gustansque diligenter eam, non potuerit cognoscere quod in ipsa esset immutatum. Quā opinionem cōfirmat Trincauella lib.2.consil.nu.mihi 55. Nihil refert inquit si Aquarianæ aquæ bibantur in suo naturali solo, aut alibi, quoniam non scaturiunt calidæ,& eas aut ibi,aut alibi, cum bibuntur,oportet ad ignem calefacere, at semper (vt dicam infra) obturetur vas, ne amittantur & exhalentur vapores, ac spiritus natiui. Talem profectò optimam ac elegantissimam mixtionem mineralium in hac aqua Therm. medicatæ, Balnei Lixiniani in Ducatu Parmensi reperiri certum est; siquidem & ipsa longissimo tempore seruatur extra proprium fontē, siue dicas puteum, incorrupta, immutata, atque integerrima; vt ego periculum feci ad tres & quatuor annos; Scatet frigida à visceribus terræ, guttatim descendens, seu erumpens in puteum quendam antiquitùs à Romanis lateribus arte constructum, atque fabricatum: quod postea à Rubeis fuit renouatū, atque restauratum,vt audietis,ob multas virtutes, & facultates in sanandis diuersis morbis corporum naturalium, sed brutorum quoque, vt vidi, etiam fieri ex aqua Apponitana in neruis contractis, & gummatibus equorum ex nimio labore ortis; & notoriè non solum canes, sed alia animalia,& homines scabie laborantes ex aqua Puzola supradicta sanantur: vt ex balneo Reginæ in agro Pisano, & balneo S.Michaelis in agro Vol laterrano: quod venit obseruandum contra aliquos negantes Animalia ab aquis Therm. auxilia sumere,cum ipsa Animalia nobis multa balnea vtilia notificauerint, vt supra dictum fuit de Bobus.

De modis mixtionis mineralium, quæ continentur in aquis Thermalibus. *Cap. III.*



CVM aquæ Therm. ex natura sua essentiali non sint simplices, sed compositæ, ac mixtæ, ex aliqua metallica materia, sequitur quòd perfectio atque bonitas ipsarum aquarum medicatarum propriè, verèque cognoscatur, atque iudicetur ex optima mixtione rerum, quæ in ipsis reperiuntur; ita vt præstantior atque melior censeatur illa aqua Therm.medicata,quæ longe plura atque diuersa secum habeat mineralia, seu metallica mixta, non tamen venenosa: varios enim & plures morbos, longeque difficiles sanatu, talis aqua apta nata erit superare, atque curare, prout à rationali vsu, & experientia confirmata administrabuntur. Tres modo sunt modi, & gradus mixtionis in ipsis aquis Therm.cum rebus, quas in se continent. Primus,quando res illæ, quæ in aquis continentur, sunt adeo commixtæ, vt cum fiat vnum corpus, non possint separari, ab aquæ substantia, nisi longissimo tempore, validissimaque etiam superueniente concoctione, agitatione,atque mutatione;

tatione; Et tales aquæ diù perdurant extra proprium fontem, & locũ incorruptæ, ac ab omni mutatione virtutis alienæ; vt aquæ Lucenses, quædam Patauinæ, calderiæ, Transcheria in oppido Bergami, Aquariana in Ducatu Mutinensi, Pontana Bononiensis, Aquæ balnei Parmensis de Lixiniano, ripæ Altę; Puzola in Marchionatu Tabiani, ac multę aliæ in diuersis locis Mundi continuè repertę, vt nuperrimè aqua Grafagnanę. Secundus mixtionis modus est, quando metalla non verè commiscentur cum substantia aquæ, sed potius confunduntur, ita vt non possit ex Metallis, vel alijs rebus, & aqua fieri vnum corpus, & vna eadẽ forma: Cuius signum est, quia tales aquæ quodammodo euomunt, excernunt, atque relinquunt metalla in se mixta, cum primum erumpunt atque resiliunt à terra, eiusque origine, atque à principio. Quod certè non eueniret si quælibet aquæ portio minima mixta esset cum minima quoque particula metalli, vt de natura est ipsius veræ mixtionis rerum. Tales sunt aquæ nonnullæ Patauinæ, vt Apponitanæ, & D. Petri, in quorum riuulis persæpè collegi sulphur, & calcharium lapidem, & quędam alia ramenta, quando voluptatis gratia talia balnea visitabam, dum ibi studebam. Tertius modus constat ex dictis, nam quædam aquæ Therm. continent certè plura mineralia, sed aliqua ipsorum habent in se confusa, aliqua optimè sunt mixta; vt Apponitana aqua, quæ continet sal verè mixtum, & lapidis calcharij succum confusum cum Fallop. Causæ harum differentiarum & varietatum pendent ex tribus causis, ex calore debili vel forti, ex debito tempore & opportuno ad talem coctionem, & vltimo ex aptitudine materiæ ad eliquationem, & mixtionem cum aqua. Si.n. calor agens in visceribus terræ non sit tantus, quantus requiritur, sed deficiat; neque tamdiù moretur, & materia non sit apta, fit confusio quædam ipsorum metallorum cum substantia aquæ, non autem vera & perfecta mixtio ipsorum. At si calor agens in locis subterraneis sit multus, fortis, & vehemens, tamdiuque agat concoquendo, & validè, ac potenter, vt ipsum minerale cum aqua cõmisceat, nec citius, quam conueniat aquæ, è terra erumpat, tunc vera ac perfecta fiet harum aquarum Therm. mixtio; difficilisque erit separatio rerum contentarum in ipsis aquis. Sed sciendum est, ꝙ dantur aliquæ res adeò duræ atque ineliquabiles, quæ nunquam possunt cum aqua verè misceri, vt aurum, argentum, ferrum, æs, &c. Aliquę possunt eliquari quidem, sed tardè ad modũ. Alię licet possint liquari, sua tamen vnctuositate, & oleoginositate nunquã cum aqua verè misceri valent, veluti sulphur, & bitumen. Sunt & aliæ materiæ, quæ eliquantur certè, facile concoquuntur, & facilè misceri possunt oẽs succi concreti, vt alumen sal, & quædam speties terrę, de quibus in sequenti. & si quis plura scire cupit, legat Hip. lib. de aere, aquis, & loc. à nu. 10. vsque ad 21. Arist. de sensu ac sensili, & Ioan. Agri. lib. proprio de accid. cũ semp aptitudo materię reqratur in vera mixtione.

De

De materijs quæ cum aqua medicata naturaliter misceri possunt. Cap. IIII.

QVINQVE sunt genera rerum, quæ in cauitatibus atque visceribus terræ latitant, reperiunturque à fossoribus; per has aquę fluentes, ac transeuntes continuè aliquid abstergunt, abradunt, & attrahunt, simulque cum ipsis commiscentur, & confunduntur, scilicet vapores, seu exhalationes, multi succi, variæ metallorum species, lapides pretiosi, atque communes, vltimo terræ omnes. Hæ varias in aqua congenerant qualitates, pro natura sua simul, vel diuisim mixta. Nam 4. Meteor. ex Aristot. vapores sapiunt naturam rei, à qua eleuantur; & aquæ referunt qualitates vaporum ac aeris ipsius loci vndè generantur: quod etiam dixit lib. de sensu, ac sensili cap. de sapore. Talis est sapor aquæ, qualis est terra, per quam transit; & hoc facile experitur cum aqua transiens per cineres reddatur amara, & marina aqua si per terram argilosam percolatur dulcescit. Quare varietas saporum in fontibus variatur ob materiam in qua sunt, & labuntur continuè. Ex quibus omnibus multæ aquæ excedentes ac superantes naturam aquæ simpl. atque potabilis, Thermales & medicatæ aquæ vocantur, cum varios, atque diuersos edant effectus in sanandis corporibus.

Inter vapores & exhalationes è terra egredientes, qui cum aquis miscentur, enumerantur vapores noxij, maligni, seu venenosi, quos in præsentia, & semper omittam, tanquam obnoxios naturæ humanæ. Adsunt quoque vapores benigni, atque salubres, & hi vel sunt bituminosi, vel sulphurei, bituminosos ostendit manifestè atque dilucidè satis aqua nostri fontis ac voraginis, vulgò, le Barboie ita vocatę ab incolis, quia continuè ebullit & fortiter, distat à puteo medicato Lixiniani, spatio duorum milliarium.

Hæc aqua vsque adeò bituminosis vaporibus eleuatis à massa similis alimenti terræ pinguioris, bullientis in locis illis subterraneis & canalibus quibusdam, remotis à superficie terræ est referta, vt ex tenuissima scintilla, vel flamma ignis vix sibi admota, vt oleum supernatans accendatur, ardeatque bitumen à longinquoque noctu videtur: neque postea aqua ista sic accensa extingui potest aqua, aliove liquore simili, sed solum vento pannove aliquo superatur. Simile etiam accidit in alio mõte Parmensi sub oppido Bercelli Ill. D. Rubeorum Sancti Secundi, in villa Pagazani, siue Castellongo, in loco quodam fertili, qui vocatur ab incolis Boia inferno, ibi palea posita accenditur sine auxilio ignis, & flamma ad distans videtur, quod & scriptum reperitur alijs flammis micantibus in diuersis montibus, de quibus Fallopius, Baccius, & alij men

tionem faciunt: Miscetur quoque sulphureus vapor, & melius ac facilius omnibus alijs cum aqua ipsa: Quorũ vaporũ causa illa aqua præstat, & facit in corpore nostro effectus sulphuris. Sed semper animaduertendum, quòd aquæ istę repræsentantes odorẽ sulphuris ac habentes sulphureos vapores, & exhalationes rerũ, facilè amittunt virtutem sulphuris dũ incalescunt artificialiter, ac refrigerantur; & ob id clauso semper vase calefieri debent. Non est tamen negandum cum Fallop. ac alijs non posse reperiri aliquod aliud genus vaporum benignorum, & malignorum, qui cum aquis mineralibus possint commisceri. Succi verò qui perpetuò continentur in aquis, secumque miscentur ac reddunt ipsas medicatas, vel sunt concreti, vel liquidi; concretus siue durus potest vocari quælibet materia facilè liquabilis ab humido, habens in se nitorem seu luciditatem, ac splendorem quendam, vt sal, alumen, scisile, rotundum, ac omne genus calchanti; liquidus succus vocatur à Fallopio quædam materia mixta ac composita in visceribus terræ, humidęque substantię, vt alumen liquidum, naphta, seu bitumen, & succus quidam lapideus quasi eliquatus. Horum succorum alij sunt benigni, & amici naturæ humanæ, alij venenosi atque maligni, cum non solum animalia bruta, sed rationalia destruant atque interimant. Quare istis omissis quoque dicamus de benignioribus, quorum mixtione aqua varios vsus, & vtiles præstat humano generi, præcipuè in fugandis morbis. Inter bonos ergo succos mixtos cum aquis Thermalibus medicatis, reperitur humor quidam seu succus optimè elaboratus, & coctus, genitus ex materia lapidosa, quæ cum refrigeratur siccescens concrescit, in lapidemque vertitur. Atque hic succus vel verè miscetur cum aqua, vel confunditur; Alter succus benignus est bituminosus vel naphticus, sed cum sit oleaginosus non potest verè perfecteque cum aqua misceri. Confunditur ergo, atque ita quandoque confunditur, vt difficile sit ipsum ab aquis separare. Talem succũ bituminosum & oleaginosum possidet balneum in Ducatu Parmensi, seu potius vorago Barboliorum supranominatorum, foueæ quædam Ripæ altæ aquæ Miani, & quędam salsi maioris; sicut aliæ in Ducatu Mutinensi, puteus quoque Lixiniani aliquando habet, sed in minima quantitate: Vitruuius lib. 8. c. 3. Plin. lib. 31. cap. 2. de alijs meminere, ac nonnulli Moderni, vt videre est apud Baccium lib. 4. Tertio succedit succus salis, qui miscetur cum aquis medicatis: At sciendum quòd vltrà substantiam compactam, densam, duram, friabilem ac minutam assignantur tres salium species, prima est acris valdè ac maximè salita, secunda species non ita acris est, sed mitior, tertia est mitissima & veluti insipida: Hinc sequitur quòd cum variæ sint salium species, variæ quoque aquarum salitarum medicatarum erunt differentiæ, vt altera aqua sit magis salsa; alia mitior, alia mitissima, vt vix gustu percipiatur salsedo. Quæ omnes differentiæ facile cognoscuntur

ab

ab habitatoribus, ſed magis à ſalinarijs in territorio ſalſi maioris ac minoris Sereniſſimi Ducis Farneſij, vbi multi ac multi adſunt putei antiquiſſimi, à diuerſis ſuis ſumptibus fabricati, ex quibus continue hauriuntur aquæ ſalſæ, quæ in vaſis æneis infuſæ, lignis ardentibus per coctionem conſumpto liquore, denſantur, ac refrigeratæ colligitur ſal in maxima quantitate, ſine quo vita humanior nequit degere, vt tranſierit intellectus ad voluptatem animi quoque cum Plinio eo lib.31. cap.7. Quarto loco venit ſuccus nitri, qui & ipſe poteſt eſſe mitis valde, vel acris admodum, ita tamen vt aquæ hoc ſucco participantes inter ſe differant; aliæ enim erunt acerrimæ, erodentes, aliæ è contra placidæ, mites, Quintò multæ aquæ habent ſecum mixtum ſuccum aluminis, ſed cuius ſpetiei ſit alumen difficile eſt admodum cognoſcere, non enim vbique concreſcit. Sextò miſcetur cum aquis ſuccus calchanti, ſecundum magis, ac minus, & habent eundem ferè ſaporem, quamuis ſint diuerſæ ſpecies. Vltimo loco miſcetur cum aquis ſuccus quidam accidus, qui à Fallop. experimentatore diligentiſſimo dijudicatur non eſſe diuerſus ab alijs, ſed tenet iſtam aciditatem pendere, vel ex calchanto puriſſimo, & aliqua ex parte aſſato, vel ex puro alumine, ſed aliquantulum exuſto: præter dicta viſum eſt aliquibus Medicis, nonnullas Therm.aquas & medicatas continere in ſe aliqua metalla, non tamen verè mixta, ſed confuſa ſemper, vt aurum, argentum, ac ferrum, &c. quibus Fallopius non adhæret, maximè de auro, licet dicat, quòd metalla in locis ſubterraneis, & proprijs venis non ſint ita ſolida, & dura, vt in ſuperficie terræ poſita. Contrarium tamen tenet ac oſtendit clariſſimè Antonius Maria Venuſtus in ſuo lib. conſil. medicinal. Baccius, Fraſcatus, & alij qui mouentur hoc dicere ex Hip. lib. de aere, aqua & loc. nu.13. vocante has aquas minerales duras; non enim aurum, vt aurũ, nec argentum, vt argẽtũ miſcetur cum aquis, ſed benè per ſuos vapores, ac principia mineraliũ virtus imprimitur in aquis, dum per terram, in qua adſunt, aquæ dictæ percolantur. Nec prætereundum, quòd ſulphur inter metalla illa quæ cum aquis confunduntur primum obtinet locum, nec de hoc alicui eſt dubium, ſed memorandum quòd aliquæ aquæ habent in ſe ſubſtantiam, & ramenta ſulphuris confuſa, & proprie dicuntur ſulphureæ; aliæ habent tantum vapores ſulphureos, fuliginoſos, ſiccos & exuſtos, aliæ habent ſulph. ſed humidos, & quæ habent vapores impropriè dicuntur ſulphureę. Alia metalla media dicta, vt ſtibiũ, auripigmentum, ſandaracha, ſunt & lapides vt marmor, calcharius, gipſum pariter quoque, terræ vt argilla rubrica, lutea & omnia quæ in cauernis terræ reperiuntur, ſuper quę aquę labuntur, vel per mixtionem, vel per confuſionem per magis ac minus, conſtituunt varias facultates, ac virtutes aquarum Thermalium, vt notum eſt in Medicina; etſi mixtura erit bona, vtilis quoque erit aqua; vt Paulus libro primo dicit cap.52. vt quædam ſit

 nitroſa,

nitrosa, quędam salsuginosa, quędam aluminosa, alia sulphurulenta, alia ferrea, & quę ex his componuntur.

Quomodo cognoscatur quid vnaquæque aqua Therm. Medicata in se contineat. Cap. V.

OMISSA naturali separatione, dum erumpunt aquæ Therm. eorum quæ secum miscentur, vt aliquando inspicitur, atque cognoscitur in meatibus atque canalibus per quos fluunt, ac transeunt aquæ ipsæ, concrescente atque remanente in eis aliqua materia. Dico quòd tres sunt modi potissimum cognoscendi quid vnaquæque aqua Therm. in se contineat, separando omnia ea, quæ cum aqua ipsa erunt mixta: scilicet coctio, euaporatio leuis, & destillatio per alembicum vitreum: Coquitur ergo quantitas cuiuslibet aquæ Thermalis ad consumptionem medietatis, aliquando ad tertias partes in vase vitreo, vel testaceo vitriato, bene cooperto, & clauso: quo facto cognoscentur, & crassa corpora, & tenuissima, quæ in aqua illa miscentur. Si corpora erunt crassa, seruabunt odorem saporemque materiæ mixtæ, v. g. sulphuris, aut bituminis: secus non, si corpora sunt tenuissima, quia vapores citò, & facilè euanescunt. Sed sciendum, quòd aqua illa sic cocta debet per duos aut tres dies ad minus derelinqui in vase, vt quiescendo deponat fęces, deinde decolatur absque agitatione, seu vt dicitur decantatur; post filtro inciso, & acuminato, seu panno, vel lichinio ex lana retorta, cuius vna pars madefacta prius aqua frigida extra vas ponatur, vt guttatim aquà Therm. exeat; siccum Auic. lib. 1. f. 3. doct. 5. in fine separatur aqua à sedimento, & per benè fęces cognoscuntur, quales erunt: Euaporatione quoque leui cognoscuntur, ponendo vas vitreum plenum aqua Therm. in alio vase pleno arena, & soli exponitur, cauendo à puluere, sensimque euaporata aqua sole, remanebunt in fundo vasis fæces, quæ denuò siccari debent soli, & ne à puluere offendantur, cooperiantur aliquo velo. Tertio modo cognoscuntur elambicatione sicca, ponendo vrinarium plenum aqua Therm. in aliquo vase vitreo, vel testaceo cum arena, vel cineribus secundum artem, & supra vrinarium posito capello clausis omnibus fissuris cum albumine oui & calce, igne extrahatur tota aqua, derelictis fęcibus, quæ fęces postea radijs solis exponantur, vt siccentur; aut balneo mariæ, seu ellàbicatione humida, cum vasis vitreis semper destillamus aquam, quæ via tutior, & breuior est iudicanda, licet sit laboriosa: Quare cum volumus vno die magnam aquæ quantitatem dissoluere & ellambicare, possumus eodem die exacte aquam separare à fęcibus, vt quicquid cum aqua sit mixtum oculis subijciatur. Primus modus sumitur à Gal. 4. in 6. epid. 20. in fine, vt per decoctionem corpora

pora grauiora, cum fit refrigerata aqua, in fundo resideant: & tunc declinando vas tota aqua abijcitur. Moderni sublimationem hanc magis amant, quare cum sola aqua erit destillata atque consumpta soli, fæces residentes in fundo vasis iterum soli exponuntur, vt siccentur secundum artem. Tuncque per quatuor sensus erit discurrendum odoratu, visu, gustu, tactu: Atque primo quidem admouemus nasum ori bociæ, calidis adhuc sedimentis, & olfaciendo facile cognoscitur argilla, terra rubrica &c. visu cognoscimus mixta multa, soli exponendo fæces supra tabellam, vt sal nitrum, sulphur, atque concretos lapides: Metalla difficile cognoscuntur; sunt enim aliquando ita confusa, vt sensum effugiant, nec gustu cognoscuntur, quia modo illius, modo alterius saporem percipiemus. Hinc aliqui veniunt ad aliud experimentum, ponendo fæces supra laminam ferri ignitam, aliquę enim acquirunt colorem candidum, & non exuruntur, alię ruborem, alię eliquantur, alię scintillant cum crepitu, vel sine crepitu, alię ardent, comburunturque. Reliqua vero metalla non hoc modo cognoscuntur, sed infundendo fęces in aceto stillato, mutantur atque corrumpuntur in propria excrementa. Quæ cognoscuntur concreta super sedimentum: atque alumen cognoscitur ex Fallopio, si coquatur aqua, ac in fine addatur modicum gallarum contusarum, illicò enim euadet aqua nigra, vt atramentum, sed luminosa. Tactu quoque cognoscitur, tenendo portiunculam fæcum refrigeratarum inter digitos: si aderit in fæcibus sandaracha, sulphur, auripigmentum sal nitrum, alumen, dum digitis agitantur facilè cognoscuntur: sicut dicta gustu cognoscuntur, sic sulphur odore sentitur; verum odor, & sapor cum varius sit, in aquis Thermalibus quid certi haberi non potest.

Sed vltra modum cognoscendi materiam contentam in aqua medicamentosa à Fallopio cap. 8. ac alijs traditum, nos alium experti sumus in aqua Tetutij, ac Lixiniani, capiendo separatim pondus libræ vnius cum dimidia vtriusque, & in vitreo vase, vrinario dicto, cum capello igni valde lento destillamus, donec plus duarum partium fuerit consumptū, quod remansit positum fuit in cyatho communi vrinæ, & denuò fuit expositum soli (potest etiam poni igni) donec plus duarum partium fuit consumatum; & rursus fæces in cyatho communi soli exposuimus, donec omnino fuerunt siccatæ, quas postea siccatas cum aqua putei, vel fontis destillata dissoluimus; inde cum frustro filtri spissi, aut pāni lanei figurati vt supra in acutum ex vno latere, & altera parte latiori madefacta aqua, & posita in vase, separata fuit aqua clara à partibus crassioribus ac fæculentis, quas partes crassas, seu fęces soli exposuimus tectas panno, ne puluis permisceretur, & in vesperis abstulimus ob aerem nocturnū, donec omnino fuerunt siccatæ. Aqua postea clara sfiltrata posita in cyathis denuò soli euaporata fuit, donec tertia pars fuit siccata. Et iterum fæces mixtæ cum aqua graminis destillata fuit, & fuerunt positæ in

tæ in loco frigido: Nitrum redactum fuit ad figuram cannularum, alumenque in figuram rotundam cum colore albiori. Ac partes crassiores, & fæces soli exsiccatæ, oleo communi in crucibulo mixtæ fuerunt positæ igni, donec liuescerent; postea cum modico aceti per aspersionem seu insufflationem separatus fuit sal, sulphurque pallidum ab alijs mineralibus, quæ vltimo borace fundentur, & hoc modo possunt ponderari omnia contenta in aqua medicamentosa. Sic me docuit Gaspar Pallauicinus Ferrariensis destillator Serenissimi Ducis Octauij Farnesij, dum procurabam cognoscere mixtionem, & contenta nostrorum balneorum de Lixiniano, atque destillauimus & aquam Tetutij in vno vase, & Lixiniani aquã in altero, omniaque contenta separauimus. f. Aluminis partem vnam, salis partes tres & sulphuris parum in aqua nostra Lixin. & in aqua Tetutij habuimus aluminis partem vnam & semis, salis vnam, sulphuris parum.

Cur aliquæ aquæ Medicatæ sunt calidæ, aliæ frigidæ. Cap. VI.

ARist. cum obseruasset aquas Therm. erumpere sæpe feruentes, cognouissetque aquas omnes in suo principio & suapte natura esse frigidissimas, nullamque hac ratione proportionem ad talem tantumque feruorem adesse, iudicauit reddi tales à validissimo agente, & à causa feruentissima. Hanc censuit 24. probl. 17. non esse aliam, quam ignem hunc nostrum inferiorem actualem in subterraneis terræ partibus, ac cauitatibus conclusum: qui est veluti summus feruor ipsius ignis elementaris puri, ac sinceri omnino existentis, in sublimiori loco siti ex Alex. Aphrod. 2. quæst. natural. cap. 17. Quòd verò hic noster ignis in visceribus terræ reperiatur, & existat, ipse Aristoteles 2. meteor. cap. 3. in fine ostendit, dicens ignes bullientes sub terra esse causam varij saporis fontium, ac fluuiorum: idem affirmat cap. 4. loquens de ventis, & cap. 8. vbi de terremotu agit: quare ignis inferior, in penetralibus terræ conclusus causa est caliditatis aquarum Therm. & omissis multorum opinionibus, hæc mihi videtur vera certaque opinio tenenda de caliditate balneorum medicatorum, quam confirmauit Seneca lib. 13. epist. nu. 86. dicens ignibus, quos multis in locis terra opertos tegit, aqua calefit, si subiecti sunt solo, per quod aquæ transcurrunt. Redditur modo calida aqua ex permixtione vaporum calidorum, atque ex cauitatibus ipsis terræ calidis, per quas transit. Sed conseruatur, nec non perpetuatur continue hic ignis subterraneus calefaciẽs aquas Therm. ac fouetur à diuersis pabulis, & materijs proportionatis, quæ ibi cõtinuè adsunt; & regenerantur continuè pabula consequentia ignem ipsum, modo à me-

à metallico ſulphure, modo à bituminoſo, vel eius ſpetie aliqua oleagino ſa, pingui, vt naphta. Quare alimentum ſeu materia, & pabulum conſeruans ignẽ hunc ſubterraneum & flãmam calefacientem aquas Therm. erit ſulphur ex Ariſt. 24. Probl. vlt. & alibi; quia in multis aquis Therm. conſpicitur ſulphur ebullire, ac in parietibus balneorum quandoque puriſſimum colligitur, vel ſaltem odor ſulph. conſeruatur in aquis, ob vapores & exhalationes exuſtas, habentes colorem ipſius ſulphuris. Agricola lib. de cauſ. ſubterraneorum, & Fallop. cap. 5. & 14. uolunt conſeruari etiam à bitumine contento in locis ſubterraneis, quod diu flammã conſeruet; nam multæ aquæ habent in ſe à primo ortu aliquid pinguedinis referentis verum odorem, ac ſaporem bituminis, quod ardet in aqua, ac ſi eſſet tota illa pinguedo extra eam. Et hoc manifeſtè conſpicitur in aqua foueæ noſtrarum Barboliarum, cum à viatoribus aliquando dedita opera accendatur ignis, qui in nocte à longè clarè conſpicitur, & conſeruatur per longum tempus, prout ego quoque aliquando periculum feci. Vtraque iſta materia ſulphurea ac bituminoſa perpetuò tanta regeneratur, quanta requiritur pro pabulo nouo ignis calefacientis aquas Thermales, non enim deeſt materia ex qua poſſit gigni & regigni tale pabulum in ſubterraneis locis, nec de hoc eſt dubitandum: quare omnes aquæ ſi non immediatè, ſaltem mediatè incaleſcunt ratione bituminis, vel ſulphuris, aut puri, aut cum propria terra commixti, conſeruantis ignem ſubterraneum in penetralibus terræ, quæ cũ ſint calida, de neceſſitate & aquæ tranſeuntes per dicta loca, vel commorantes, & ipſæ erunt calidæ, ſi breui tractu & tẽpore erumpant. Ortũ habuit hic ignis ſubterraneus calefaciens has aquas Therm. vt colligitur ex Ariſt. 2. meteor. cap. de terręmotu, ab aliquo vapore, ſiue ſpiritu, & exhalatione calida, & ſicca, caſu concluſa in concauitatibus terræ, & locis, vbi metalla continuè generantur, ſiue ſulphurea, ſiue bituminoſa; quærensque exitum & non inueniens, agitata, attrita, & rarefacta præ caliditate accenditur atque inflammatur, & cum ibi ſit ſemper materia bituminoſa atque ſulphurea fouens, & conſeruans ipſum ignem, tanquam pabulum, accenditur & ipſa materia, hinc perpetua conſeruatio harum aquarum. Quomodo vero aquæ Therm. incaleſcant ex flamma iſta in metallis ſulphureis, & bituminoſis recepta, docet Empedocles, Seneca ſequitur, & confirmat Vitruuius, vel quia tranſierunt per ſaxoſa loca, quibus ſubtus eſt ignis ardens in materia ſulphurea, vel bituminoſa, aut eorum aliqua ſpetie; aut tantus eſt calor, quantus potens eſt, atque ſufficiens ſaxa & aquas calefacere ſolum proportionali tamen diſtantia, & cum debito tempore durationis caloris pro vera mixtione, vel incaleſcunt, quia tranſeunt per ipſummet metallum ſulphureum, & bituminoſum, accenſum, atque ignitum, vt voluit Agricola: quare ex multitudine, vel paucitate, ac diſtantia, & ex tempore moræ ignis per magis & minus, quo incaleſcunt

ſcunt aquæ Therm. medicamentoſæ, aliæ erumpunt calidiſſimæ, & ita conſeruātur, alię mediocriter calidæ, aliç tepidæ, aliæ frigidæ. Si enim calor agens ſubterraneus ſit multus intenſus, & proximus terræ, & aqua tranſiens per loca illa ſimplicia, vel ſaxoſa citò è terra erumpit, calidiſſima erit; & è contra ſi paucus erit calor, & iter longum faciat per loca frigida egredietur frigida, continuè enim exhalat aliquid caloris, & vapores calidi euaneſcunt: quinimmo caliditas à primo ortu recepta tota amittitur, & cum naturali frigiditate apparet & colligitur: Habent tamen omnes medicamentoſam facultatem, & Therm. vocantur. De medijs ac temperatis facile eſt rationem reddere, conſiderando calorem vel multum, vel paucum in ſubterraneis locis, & iter quod facere debent aquæ vel proximum, vel remotum. Illud tamen venit memorandum, quòd corpora quæ ſeſe contangunt, quò magis ſunt humida, & alterabilia, eò ſemper inuicem magis agunt, & patiuntur, quare aquæ Therm. quò diutius aliquo loco morantur non modo caleſcunt, vel refrigerantur ſecundum loci qualitates, ſed odores, ſapores, & facultates illius loci magis & minus acquirunt. Hoc oſtendunt manifeſtè non ſolum odorata omnia, ſiue bona, ſiue mala, cum veſtimentis recondita, quæ multo tempore retinent illum odorem, ſed etiam infuſiones, & macerationes alicuius rei medicatæ, cum retineant virtutem & facultatem rei infuſæ, vt notiſſimum eſt in medicamentis, ac in vinis artificialibus ex Dioſcor. lib. 5. quem ſequitur Arnaldus, & his temporibus Moderni omnes.

De vſibus aquarum medicatarum. Cap. VII.

MVLTIPLEX fuit apud veteres tam Rationales, quam Empyricos, & Barbaros Medicos, Græcos, Arabes, ac Latinos, & apud Recentiores noſtros Balneorum aquarum Thermalium, & medicatarum vſus, vtilis extrinſecus ad delitias, pro ornamento vitæ, abluendo corpora, atque veſtimenta, intrinſecùs ad curandos diuerſos morbos, & vario modo. De hocque nunc intendo loqui. Primò per potum. Secundò, per balneationem. Tertiò, ſtillicidio, ſeu gutta. Quartò, per fomentum cum ſpongijs. Quintò, vſu clyſteriorum. Sextò euaporatione, ſeu ſudatorio in ſtufis. Septimò, in coquendis cibis. Octauò, ad diluendum vinum. Nonò illutatione illius, quod reſidet in aquis, ſeu extrà colligitur: qui modi ſeu vſus ſunt multi in balneo Ducatus Parmæ de Lixiniano, cum diuerſi morbi, plures ac diuerſos modos idoneos ex vſu requirant; qui multorum experientia fuerunt comprobati; ita vt nullus ſit vicinus, qui virtutes dicti noſtri balnei non admiretur, pro ſanandis diuerſis morbis, & etiam Doctores à longinquo, vt Antonius Ventutinus aliàs lector conſumatiſſimus in ſtudio Piſano, quando vocatus venit ad curam Sereniſſimæ Principeſſæ noſtrę 1577. publicè

publicè dicebat, cur istæ aquæ medicatæ Lixiniani non reducuntur ad frequentiorem vsum pro curandis varijs morbis.

Quæ aquæ vtiles sint ad potum. Cap. VIII.

CVM non omnes aquæ Therm. sint salubres, atque accommodatæ ad potum, pro sanandis morbis, inter malas ac noxias bibentibus (quamuis forsan essent salubres per exterius ad multos morbos) tenentur esse omnes aquæ habentes in se quouis modo metallicam materiam noxiam, seu venenosum succum, aut exhalationes malas, cum periculum sit mortis bibentibus eas: Tales profectò sunt, quæ continent in se plumbum solum, æs, rubiginem, auripigmentum, lithargirium, argentum viuum, antimonium, sicut quæ habent in se substantiam gipseam, marmoream, bitumen liquidum, & sulphur solum absque aliorum mixtione, &c. Bonæ sunt & aptæ ad vsum medicum pro potu, salubresque sunt hominibus ac brutis animalibus nitrosæ, salsæ, aluminosæ, ferreæ, & si cum istis aliquando misceatur sulphur. Argenteas & aureas summopere laudat Baccius lib.6.cap.9.in fine, vt metalla benigniora; sequitur Frascatus de aquis Ticinensibus vt raras, easque extollit, vt vtilissimas in sanandis aliquibus morbis, de quibus nulli debet esse dubium, cum Hippocr. eo. lib. de aere, aquis, & locis nu.13. de talibus mentionem faciat.

Quas vtilitates præstet potus aquarum medicatarum. Cap. IX.

QVATVOR sunt vtilitates, quas præcipuè præstat potus aquarum Therm. medicatarum. Euacuatio, calefactio, refrigeratio, & exsiccatio, (omitto nunc humectationem propriam aquæ) ad has reducuntur absterfio, corroboratio, adstrictio, laxatio, & resolutio, tanquam secundæ qualitates ex primis à diuersa materia ortę. Hinc scribunt Doctores, aquas Thermales diuersos curare morbos, & illos inter se pugnantes. Atque ita jam in vsu receptum est, propter experientiam multorum: vnde aliqui arbitrati sunt, has aquas Therm. esse Empiricum medicamentum. Gal.4. de tuend. 4. facit mentionem de euacuatione, & purgatione, dicens, quòd sunt aliqui qui Vere, vel Autumno quotannis soliti sunt euacuare excrementa, vsu aquarum sponte nascentium, quibus aut sulphur, aut bitumen, aut nitri vis inest. Vitruuius lib.8.cap.3. dicit, quòd ratione bituminis, ac nitri erant in vsu aquæ Therm. ad euacuanda corpora; & per aluum transeuntes aquę tumores strummarum minuebant, ac discutiebant, siccando, ac resoluendo

materiam illam ſtrummarum: in Hetruria multi quoque bibunt aquam Tetutij quotannis, pro euacuando corpore; ita faciunt alij de illa Tranſcherij Bergomenſium, & alij in illa Porettæ. Sicuti etiam in Flandria de illa de Spa valde nominata; atque in vſu eſt apud multos noſtra Lixignani, quæ valenter ac fęliciſſime euacuat corpora, vt illa Tetutij per inteſtina: Plin. lib. 31. cap. 6. ait quòd nitroſæ, & aluminoſæ erant in vſu, ad euacuanda corpora, vnde Celſus lib. 3. cap. 24. ſcribit quòd Aſclepiades cogebat patientes bibere aquam ſalſam per biduum, purgationis cauſa, vitatis ijs, quæ vrinam poſſent mouere eo tempore, quod eſt memoria tenendum, & in praxi obſeruandum. Secundus vſus erat calefactio alicuius partis, maximè cum aquis ſalſis, nitroſis, ac ſulphureis; de hoc teſtes ſunt, qui habent refrigeratum, & imbecillem ventriculum, cum ex potu aquarum iſtarum medicatarum ſentiant ventriculum manifeſtè calefieri, ac roborari. Dummodo inquit Fallop. aqua tranſeat, & moretur diù in ventriculo: quia tunc magis iuuaret ſuprà ventriculum; quod vidi, & cognoui manifeſtiſſimè in Nobiliſſimo noſtro de Bagnonibus, qui bis & ter purgatus debitis remedijs, nunquam potuit reddere aquã Aquarij & Tetutij: eapropter iuſſi ſtillicidium ex aqua Lixiniani ſupra ventriculum, & conualuit. Idem vidi in Cappucino quodam Teutonico, qui dicebat tantum habuiſſe iuuamentum ex noſtra aqua, quantum habuerat ex aqua Apponitana. Confirmat Alexan. lib. 10. cap. 1. Auic. lib. 3. fen 16. cap. de dol. colico, & lib. 2. T. 2. cap. 59. ampliat, quando exhibet aquas aluminoſas pro calefactione inteſtinorum: Ex quo per communicatam virtutem medicamentoſam iuuatur perſæpe vterus; euacuata enim materia frigida, & ventriculi, & inteſtinorũ, vterus contemperatur, & roboratur, ſed per accidens. De refrigeratione non eſt dubitandum, & erat tertius vſus, cum multæ ſint aquæ Therm. in vſu quotidiano pro refrigerando contemperandoque calore vẽtriculi, hepatis, lienis, renum, veſicæ, & aliorum viſcerum calefactorum, vt Calderiæ, Villenſes, B. Virg. Quartus vſus aquarum Thermalium medicatarum eſt, quòd ſiccent, digerant, ac reſoluant materiam: de quo Vitruuius, & Fallopius inter modernos, ſequentes Gal. 1. de tuenda valet. 7. dicunt omnes ferè aquas Thermales habere vim ſiccandi, & Montanus conſilio nu. 158. abſoluto vult omnes aquas Therm. ſiue calidas, ſiue frigidas ſemper exſiccare, quod nobis inſinuauit Hip. lib. de aere & aquis cap. 3. potentia omnes aquæ Therm. exſiccant, & actu humidæ ſunt Gal. 1. ad Glauc. cap. 9. & lib. de ſanit. tuenda primo, dixit, aquæ, quæ medicam aliquam vim præſeferant, omnes planè ſiccant, veluti quæ ſulphuris aliquid, bituminisve, vel aluminis repræſentãt: alias poſtea vtilitates vt corroborare, abſtergere, laxare, reſoluere, &c. volunt omnes Scriptores eſſe conſecutiuas præcedentium vſuum.

Quibus corporis partibus iuuent medicatæ aquæ. Cap. X.

Diximvs potum aquarum Thermalium per aliquas corporis partes præcipuè transire, vt per vesicam, vel per intestina: Sic omnia viscera, & omnes corporis partes per quas transibunt, aut tanguntur ab ipsis aquis, vel fomentũ habent, iuuamentum etiã, & vtilitatem percipere, & habere possunt: quare fauces, & quæ circa fauces sunt, ventriculus, hepar, lien, intestina, renes, vesica per se & ex sua essentia in primis recipiunt iuuamentum; cum per eas, vel earum partium venas transeant. At caput, pulmo, pectus, vterus, articuli, ac manus, & aliquæ aliæ corporis partes per accidens, seu per cõicationem, & consensum iuuamentum suscipiunt, roborando viscera, & tollendo intemperiem alicuius partis, ac prohibendo generationem alicuius materiæ excrementosæ, causantis aliquas malas affectiones in dictis partibus corporis, & inter alias marcorẽ illum, ex quo fit phthisis ex Fallopio, pro quo exhibetur aqua Villæ, & B. Virg. cũ maxima vtilitate. At notãdum, quòd si aqua potata non retinetur per aliquod spatium temporis horarũ saltem, quin possit labi per venas, quòd parum opitulatur, ac iuuat, siue per vrinam, siue per secessum habeat excerni: vnde Fallop. cap. 11. refert obseruasse spuentes sanguinem, si statim reddant aquam per secessum, parum iuuari ex potu aquæ Therm. & maximè Villensis. Hic venit sciendum, quòd licet diximus omnes partes corporis, per quas transit aqua Thermalis potata, iuuamentum, & vtilitatem percipere, hoc fallit in laborantibus calculo vesicæ, vel vbi adest suspitio talis; est enim timorosum semper diureticis medicamentis, & grauibus vti in tali morbo calculi, veluti sunt aquæ Thermales, quæ per vrinam solum redduntur; & docuit Auic. lib. 3. Minerales aquas vrinæ difficultatem facere: vnde Mercurialis lib. 3. cõsiliorum duabus responsionibus, & lib. 4. consil. 4. semper dubitasse scribit exhibere aquas Therm. quæ per vesicam redduntur solum; ne secum trahant humores crudos, & viscidos in vijs repertos, qui postea agglutinati concrescant, & adaugeant lapidem ipsum vesicæ, & adducit exempla Ill. Virorũ, quorum cadauera post mortem secta fuere. At quæ per intestina feruntur, ac redduntur, vt de Tetutio, de Lisignano, &c. possunt exhiberi quandoque, eò quòd crudos succos, qui in ventriculo, & primis intestinis inueniuntur, absque vllo renum ac vesicæ detrimento, per aluum extrà ducunt. Belacatus Medicus Patauinus senex expertissimus, & non paruæ auctoritatis, tenebat aquas Thermales transire per omnia vasa corporis: & ab ipso oretenùs audiui hoc probare exemplo iuuenis laborantis tumore præter natu-

ram inter ſcapulas, cui exhibebat ipſe aquas thermales, nam ſecto tumore, ex 10. cyathis aquæ ſumptæ, 8. per illum locum tranſibant. Simile obſeruauit Baceius lib.3.cap.4. in quodam poſt potum aquæ, cui tumor Eriſipelatoſus ſupra dextrum hippocondrium obortus eſt, ac perforatus, complures ſitulæ ſeroſæ humiditatis in admirationem Medicorum exierunt à loco, iuxta illud Plinij 36. cap.6. quòd turgidi ex potu aquæ veniebant: vt etiam obſeruauit Fallop.cap.10. in vno Presbytero, qui ex potu aquæ magno, & plusquã ſatis erat, trium dierum ſpatio tumidus ita factus eſt, vt amplius ab amicis non cognoſceretur. Quare frequenter natura ſingulari prouidentia ſibi parat vias, nobis incognitas ac difficiles ad credendum, pro ſalute hominis, vt Gal.6.de loc.affect.4. in fine exemplificat.

An balnea Thermalia quolibet anno ſemper iuuent. Cap. X I.

EXPERIMENTATORES obſeruarunt aquas Medicatas aliquibus annis eſſe vtiles, & proficuas, alijs inſalubres, & malas, diuerſaſque cauſas aſſignant: Aſtrologi referunt ad diuerſas conſtellationes: Medici, per coniecturas agentes, dicunt quando pluuiæ in Vere contingunt inſolitę, & maiores, quòd neceſſariò natura, & qualitas balneorum medicatorum alteratur: Vnde Medici Patauini (vt ſæpe obſeruaui, quando ſtudebam) inter alia iubent, quod portatores conſuetiaquarum ſuarum Therm. ad ciuitatem nunquam debeant implere fiſtulas illas, & ſumere aquam à fonte ſiue balneo, quando vult pluere, vel pluit, nec ſpirante magno vento frigido; quoniam tunc contaminatur, ſiue alteratur aqua, vel diluitur à pluuijs, & potata magnas ac multas noxias afferre ſolet ægrotantibus, vt tormina, conuulſiones ab humiditate in neruis introducta: & ſic tales, vbi dubitant, ac præuident de pluuia, illico ſtatimque implent magna vaſa, vt ſequenti die ferant, ac ducant illam aquam priori die extractã ad ciuitatẽ. Hoc adnotauit Plin.lib.2.hiſtor.cap.81. loquens de ſignis motus futuri. Eſt & in puteis turbidior aqua non ſine odoris tedio, quod obſeruaui in puteo Lixiniani; quare quocunque tempore ſumatur aqua à fonte, ſemper præcedere debet calor, vel ſiccitas per multos dies; quo tempore humiditas contenta in ſuperficie terræ, ac in profundis partibus, vbi oriuntur ac tranſeunt aquæ minerales, exſiccetur. Aliter periculum eſt, ne aquę non bene purgatæ putreſcant in corpore, & conuerſæ in bilem, vt malum humorem excitent maximas febres. Hinc eſt, quòd aquæ, quæ ſemper ſincerę ſeruantur, licet ſint veteres, ſemper vtiles ſunt, ac poſſunt dari pro potu & tutò, vt ſæpe expertus ſum, & aliàs admonui Tiberium

Vrſium

Vrsium Placentiæ, & me secutus fuit in tali opinione. Quare seruatis ser uandis, omnibus annis aquæ à balneo sumptæ, modo, & tempore dicto, si patientis vrgeat necessitas, siue pro euacuando corpore, siue pro alteratione aliqua membrorum particularium atque eorum corroboratione, tam per interius, quam per exterius possunt exhiberi ac alijs vsibus administrari. Et ratio est, quia aquæ Thermal. sinceræ, non mixtæ cum alia aqua non minerali, ob perfectissimam mixtionem factam à validissimo calore subterraneo, seruantur ad memoriam hominum, integerrimæ & optimę, vt Fallop. cap. 1. & 7. de aquis dicit se bibisse Aquarianam aquam, conseruatam centum annis. Et ego gustaui Villensem aquam 24. annis conseruatam, optimam, in vitreis vasis diligenter obturatis, ab Illustri & Reuerendiss. Pręposito Zobolo Parmensi, anno enim 1589. biberat fęliciter talem Villensem aquam consilio nostro. Ex his elicio, quod si aquæ crudæ non minerales miscentur cum Thermalibus quòd dictæ minerales medicatæ corrumpuntur, & putrescunt, vt experientia cognoui, ac aliquando gustaui, & odoraui, & ideo summopere cauendum, & euigilandũ est. Teneo etiam quòd limphare vinum aqua communi, vel fontium, vel puteorum sit periculosum, dum potatur aqua Thermalis maximè si non tota reddatur, quia facillime potest putrescere in vasis, & morbos generare; ideo bibatur vinum pauciferum oligophorum, dum sumitur aqua Therm. medicata, nisi teneamus cum Auic. lib. 1. f. 4. d. 5. cap. 7. & lib. 2. T. 2. cap. 59. Quòd vinum remoueat malitiam aquæ, si cum eo bibatur.

Quo anni tempore aquæ medicatæ sunt exhibendæ. Cap. XII.

NON vno, & eodem tempore anni aquas potentia calidas, vel frigidas esse exhibendas pro confesso est apud Medicos, vel enim regulariter, & cum electione in morbis, qui dant inducias, loquimur, vel coactè & irregulariter, quando morbus vrget, & occasio præceps est. Primo ergo quæ nunc dicuntur, sunt obseruanda. Secundo vero nullum tempus determinatur; vnde ne confusè in hoc procedatur, distinguendum, cum aquæ aliæ sint potentia calidæ, aliæ frigidæ, & inter tempora anni, aliud sit calidissimum, aliud frigidum, aliud medium, aliud temperatum; quare aqua potẽtia calida exhibenda non est pro potu, tempore valde calido, vt Aestate, quia corporis habitus est rarus, viæque sunt apertæ, & cum calefaciat, ac siccet, lęderet nimis, debilitando corpus, cum vires resoluerẽtur, iuxta illud Hip. sub cane, & ante canem &c. Nec tempore frigido, quia aqua retineretur, sed tempore medio. Hinc Aetius T. 3. serm. 3. cap. 30. de mente Archig. dicit

horam

horam calidiorem ad eas accipiendas omnibus alijs esse aptiorem. Oribasius 10. collect. de mente Herodoti cap. 5. voluit, cum plurimæ ex his aquis Thermalibus in locis palustribus, & montanis oriantur, frigidisq; locis, & propterea morbosæ sint, in Veris fine, ac principio Autumni eis opportunè vtendum. Si vero in salubribus locis oriantur, possunt etiam Aestate assumi, si frigidæ fuerint potentia; quod confirmat cap. 6. de mente Gal. Esto anni tempus Aestatis initium, esto præterea dies in quo auspicabimur quàmaxime tranquillus, & quando id tempus ferret, calidissimus, eaque diei pars calidissima; vnde scriptum reliquit Gal. 4. de tuen. 4. & alibi, consueuisse quotannis multos Vere vel Autumno ad excrementa totius corporis euacuanda, vti aquis sponte nascentibus, quibus uis inest, aut sulphuris, aut nitri, aut bituminis. Quare tempora opportuna sine aliquo periculo, pro potu aquarũ calidarum, potissima sunt principium Autumni, ac vltima pars Veris, cũ sit temperata, ac per multos dies perseueret; quod ex solo cœli statu desumendum est. Hoc sequuntur Moderni, vt consulit Trincau. lib. 2. cons. nu. 52. quod post medium Aprilis bibantur aquæ calidiores, & cons. 56. post medium Augusti. Simile vidi obseruari Patauij post festum D. Antonij de Padua, nempè mense Iunij, esse in vsu ibi balneum Beatissimę Virg. ac Calderiæ, quemadmodum in Etruria, ac Lombardia apud nos balnea Villensia, per prius & ante festum dicti Medici Patauini vtuntur aqua Apponitana, de Lastra, & Aquariana, quæ sunt calidæ, & simile faciunt post mẽsem Augusti. Si vero aqua Thermalis sit potentia frigida, & intentio Medici sit refrigerare totum corporis habitum, vel saltem contemperare, eligendum est tempus calidissimum, vt totus corporis habitus maximè pateat, & aqua permeare ac facilè transire, ac reddi valeat. Quare tempus calidissimum cuiuscunque anni est aptum ad potum aquarum potentia frigidarum. docuit Fallop. quòd non debemus exhibere aquas omni tempore anni, propter periculum conuulsionum crurum, nec non imbecillitatem, ac dolorem in dictis partibus, vt in se ipso expertus erat, & eo cap. 11. adducit tria exempla notanda, in quibus habitus corporis erat densus, & constipatus, & ob id cum aqua retineretur, & non posset reddi, grauia symptomata conuulsionum crurum, & tormina originem habebant. At si aliquando vrgeret necessitas, & occasio instaret exhibendi aquas, tempore frigido ac Hyberno, quæ tamen essent potentia calida summa diligentia ac arte alterandus est aer Thalami ad calidum, ita vt sit veluti Aestiuus aer, quòd sæpe dicit fecisse ac obseruasse Fallop. ac boni practicantes sequuntur. Quare si patientes poterunt, ac volunt expensas facere, vt diuites nullis expensis parcentes, sed tantum sanitatem respicientes, non dubitetis morbo vrgente exhibere omnes aquas medicatas: atque Bellacatus Medicus senex Patauinus, & expertissimus in arte, non grauabatur Hyeme, & temporibus frigidis exhibere

aquam

aquam Virginis, cum possit parari àer Aestiuus atque calidus, vt oretenus audiui ab eo, in quodam collegio publico. Etrusci quoque exhibent aquas Tetutij, & balneoli quocunque tempore, quando datur occasio, vt dysenteriæ, fluxus hepatici, & dolorum, & similium. Et ego simile obseruaui in praxi de nostro Balneo Lixiniani. At quocunque casu obseruandum semper est, quòd aquæ Thermales medicatæ colligantur, & seruentur Aestate in vasis vitreis, vel testaceis, vt aliàs dixi; nam Hyemalibus imbribus dilutæ ammittunt vires suas ferè omnes aquæ medicatæ; & ob id non sunt tantæ vehementiæ in sanandis morbis, secùs si Hyems esset valde sicca, vt aliquando vidimus: & magis si vellemus vti aquis ipsis extrinsecus ad corroborandas partes aliquas corporis. Memorandũ quod si in tempore opportuno, & conuenienti potus aquarum superueniret dies hyemalis frigidus, pluuiosus, nebulosus, tunc aer thalami alteretur ad calidum igne, odoribus iuniperi, thuris, laudani, styracis, & similium; hæc enim multum conferunt ad eductionem aquæ; nam frigiditas extrinseca ad neruos, ad articulos penetrans, breuissimo spatio maius nocumentum ostendit iuuamento expectato, & proinde patientes maneant in thalamo clauso.

Qui sint apti bibere aquas Thermales medicatas. Cap. XIII.

DATO quòd ægrotus sit obediens omninò, ac facturus, & seruaturus quicquid ei imperabitur à Medico optimo, ac rationali, pro optima victus ratione, & alijs requisitis, & quòd causa morbi sui, aquæ medicatæ electæ potus maximè conueniret pro curatione, & esset proficuus ex ratione tali morbo per experientiam multorum confirmatam, & quòd requisita prius præmittantur, ac rectè administrentur; Consideranda in primis ætas apta bibere talem aquam Thermalem, ac habitus totius corporis. Non enim pueris regulariter ante duodecimũ annum aquæ Therm. exhibentur, nisi aliquis morbus valdè vrgeat, quia tunc pueris etiam trium quatuorve annorum tutò potest exhiberi in minima tamen quantitate, vt alij mediam lib. alteri vnam, ac alij plus bibant rationabiliter, prout requirit morbus. Sic Fallop. cap. 11. laudauit aquam Tetutij in dysenteria puerorum duorum annorum, permittens bibere talem aquam, & quantum volebant, non enim percipiunt salsedinem suam, vt faciunt grandiores, & omnes liberabantur eo tempore Pisis: ad cuius similitudinem & imitationem etiam nos laudamus aquam de Lisignano in territorio Parmensi, de qua infrà Deo O.M. iuuante dicemus, cum ferè similem habeat mixtionem mineralium; vidi etiam doctissimum Medicum Balestram nostrum Parmensem

ſem filiolo ſuo nouem annorum exhibuiſſe aquam Villenſem, ſtante fe bre, & fęliciter, pro contemperanda caliditate totius corporis, cum fluxu dyſenterico, ex quo motus ego poſtea talem aquam exhibui alijs pueris in ſimili morbo fęliciter. Quod etiam conſuluit Montanus conſil. nu. 157. pro puero Vicentino, de aqua Calderij, modo non adſit febris magna, vel multa extenuatio. Hunc ſequitur inter Recentiores Maſſaria lib. 3. cap. 22. de diſenteria, docens inter medicamenta, quæ ore ſumuntur, inquit præſtantiſſimum eſſe potum aquæ Thermalis potentia frigidioris, qualis apud nos eſt Villenſis; Calderiana, B. Virginis, & ſimiles; ac ſanè nos frequenter vidimus, & verè teſtari poſſumus, illas præclaram ſæpe operam contuliſſe; adeò vt multi dyſenterici laborantes, nedum conſtante ætate ſed etiã pueruli, ac ſenes decrepiti, qui innumera alia præſidia fruſtrà experti fuerant, re ferè iam deſperata, hoc auxilio mirabiliter omni ex parte ſuperſtites manſerint. Pro quo animaduertendum, quòd poſſumus exhibere talem aquam potentia refrigerantem, in omni dyſenteria, niſi febris haberet ad ſe curam, nam dyſenteria aliquando incipit ſine febre, quando natura vult ſe expurgare à prauis humoribus. Sed ex dolore, vigilijs, motione crebra corporis, frequenti aſſelatione, cauſatur, & irritatur febris. Aliquando præcedit alius morbus, & eſt Symptomatica Criſis, quia natura coctionem non expectat, atque ſæpe multa mala eueniunt. In prima aquæ Thermales refrigerantes conueniunt; in ſecũda cautè agendum cum aquis ſoluentibus, vt Tetutij, &c. licet multò vtilius ſit humoris mordacis peccantis partem euacuare, vt natura ſubleuata reſiduum facilius ſuperet, antequam abſtergendo, & abradendo, temporis tractu, vlceret inteſtina manifeſtè.

Aetas quoque ſenilis communiter non eſt apta bibere tales aquas medicatas, cum habeat calorem debilem, de facilique ipſe calor naturalis ex multo potu aquę Thermalis poſſet extingui, & multa reſolutio ſpirituũ fieri, vel ex pauca quantitate, & non conuenienti menſura non permearet, nec tranſiret aqua, præſertim ſi talis ſit natura aquæ, vt difficile penetret, & educatur. Obſeruandum etiam venit, quòd ſemper conſiderandus eſt habitus totius corporis & membrorum principalium: licet enim quædã aquæ Therm. excalfaciant ventriculum & alias partes, vel foueant calorem innatum, maxime tamen exſiccant, & exhauriunt humiditatem radicalem, in qua fundatur calor naturalis. Addo quòd qui vult bibere aquam Thermalem, debet habere venas latas à naturali generatione. Si enim venæ ſunt anguſtæ, non ſolum aqua penetrare non poteſt per corpus, ſed neque potata redditur tota, & ſic ſemper lædit, quod expertus eſt Fallopius in ſe ipſo, cũ ter bibiſſet Aquarianam aquam, nec per lotiũ, nec per ſeceſſum reddidiſſet, ita ſudauit poſt duos aut tres dies, vt ſcutellæ ſudoris potuiſſent colligi. Quod fallit in aliquibus ſenibus robuſtis cum venis latis, & ratione affectus, vt Fracanzanus diceret

octuage-

octuagenarijs aliquando posse exhiberi. Trincauella lib. 2. consil. nu. 62. consuluit cuidam Marchioni seni bibere aquas Thermales, quia aliàs, dum erat iuuenis, fęliciter sumpserat. Baccius lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 2. quem sequitur Mercurialis idem tenens, modò pertranseat, vt habui in quadam responsione pro fratre meo Ludouico Zuntho Præsidente consil. Serenis. Ducis Ranutij Farnesij Dòmini nostri 1602. quod ego amplector ac sequor, considerans quæ Gal. 4. in acut. 19. & lib. de ratione curandi per sang. missionem 9. Celsus lib. 2. cap. 20. Ras. 6. partic. aph. & Recentiores, vt Trincauella lib. 3. Enchiridij, Rorarius, & Ludouicus Mercatus, dum loquuntur de ætate apta sectioni venæ, volunt omnes aliquos octuagenarios posse facilè, & tutò admittere sanguinem. Similiter ergo aliqui senes robusti cum venis latis poterunt bibere tutò aquas Thermales, & ideò semper habenda est in singulis ætatibus ratio habitus, non annorum, ex tota Medicorum schola, quandoquidem reperiuntur continuè pueri, ac senes robusti, qui rectè & tutò aquis Therm. medicatis possunt curari, morbo ita requirente. Prægnantes quoque non sunt idoneæ, & aptæ ad potum aquarum medicatarum, ijsdem de causis, adde quòd valdè tumidæ fierent, & cum habeant vasa obstructa, ratione materiæ pituitosæ in ipsis existentis, periculum immineret, ne intrà retinerentur, ac in omnes venas, & corporis partes distribuerentur. Trincauella tamen consil. 6. primi libri laudat aquas Aquarij in prægnante, ac dicit tutò sæpissime eas exhibuisse sine vlla lęsione. Credo tamen ego in primo, & secundo mense, & vltrà, in dysenteria posse exhiberi aquas proportionatas, & congruentes. Mulieres etiam, quando sunt in purgatione solita mensium, non debent bibere aquas calefacientes, & apericntes, vt Aquarij, Apponi, Porettæ, Tetutij, Lixiniani, & similes; sanguinem enim auertunt ad intestina, sed bibere possunt, quæ vrinam prouocare valent, vel melius quæ per vias vrinę euacuantur, vt Villæ, & B. Virginis, tutius tamen est ab omnibus aquis abstinere per totum tempus fluxionis menstruorum. Nec laborantibus febribus magnis, aut inflammationibus, aut affectibus omninò calidis idonea sunt, & conuenientia balnea Thermalia euidenter calida, siue actu, siue potentia. Planè enim & certò exsiccant, ac calefaciunt, ita vt periculum sit ægrotantes tabe aliqua corripi, & forsan irremediabili: Benè verum est, si febris consequatur ad alium affectum, & ab ipso particulari affectu pendeat, sitque tanquam accidens, vt in dysenteria, in strumis, & similibus, quod conueniunt aliquæ aquæ Thermales, vt de Tetutio, Balneolo, de Lixiniano, ac fęliciter quidem. Remota enim dysenteriæ causa, cessat febris in quacunque ætate, vt Fallopp. cap. 11. dicat, quotquot pueri bibebant aquam Tetutij plus minusve, ratione ætatis, omnes liberabantur à fluxu dysenterico. Hetrusci, vt retulit mihi aliàs Antonius Cornachinus Pisanus, & clarissimus sui temporis, ac Romani etiam, cæ-

teris alijs præsidijs, experientia quotidiana moti, anteponunt in dysenteria grauissima aquam Thermalem minus salsam, nempè balneoli montis Catini, in eodem agro Pistoriensi, tam per os libenter sumptam, quā in aluū fusam clysteribus. Qua aqua, vno & eodem tempore, non solum acres humores in ventre redundantes diluuntur, sed euacuantur, & sordes vlceribus adiacentes deterguntur, ac ob vim salis existentis in aqua, vlcera siccantur, consolidantur, & optimè ad cicatricem ducuntur. Quorum exemplo nos quoque experti sumus aquam de Lixiniano in dysenteria, & inuenimus remedium esse optimum, ac præstans, & per os sumptum, ac clysteribus administratum, vt præstantius inueniri non possit in his partibus nostris. Rabi Moises partic. 13. post medium laudat clysterem factum cum aqua salis ei, in cuius intestinis sunt vlcera putrefacta, vt abluat quicquid est putrefactum, & extrahat cortices. Qui plura cupit de aqua Montis Catini, legat Iachinum in comm. ad Almans. cap. 58. Porrò vniuersaliter qui vult cum maiori vtilitate bibere aquas Thermales, & eas reddere, bonum est quòd possit se mouere & ambulare leuiter & moderatè, vt viscera aliquo modo incalescāt, citiusq; attrahant facultatem aquæ, & assumpta aqua inambulet vsque quo venerit hora prandij, validior enim requiritur motus, si aqua debeat descendere, expelli, & egredi, iuxta illud 4. aphor. 15. cum vis helleborum ducere, moue corpus, quia ex motu aperiuntur viæ, & humores mouentur: vt non desint etiam Doctores, qui loco exercitij, vel deambulationis, laudent frictiones, nam moto corpore, integra & idonea magis fit euacuatio. Fallit tamen hoc præceptum, cum sint aliqui bibentes aquā Villensem inter alias, (vt Fallop. adnotauit cap. 11. & ego sæpissimè obseruaui) qui, nisi cubant in lectulo, & aliquando dormiant, vel quiescant, non valent reddere aquam, aut noctu tantummodo reddant eam. Alij nisi calefaciant, & foueant ventriculum ac abdomen linteis calidis, non reddunt aquam, cum hi indigeant maiori calore, & quiete, vt natura maiorem acquirat virtutem ad expellendas aquas; nam alterata aqua, vel vt dicitur in ventriculo actuata à calore, ab hepate & renibus facilius attrahitur atque expellitur. Semper tamen omnes bibentes aquam Therm. in magna copia, & pedes ac genua benè contecta teneāt, nam frigiditas pedum maximè lædit partes neruosas, concoctionem labefactat, flatus & tormina intestinorum inducit, vrinæ exitum prohibet, ideo cauendum à frigiditate pedum, dum bibitur aqua: non tegatur totum corpus multis pannis, ne cutis calefacta attrahat ipsam aquam medicatam ad uenas ipsius, sed moderatè indutus, modestè incalescens facilius reddit aquas ipsas Thermales, vt experientia quotidie obseruatur. Aliud etiam sæpe considerandum venit, vt ex ratione, & debitis indicationibus aquæ administrentur. Si enim aliquis sumpturus aquam haberet aliquā partem declinantem ad calidum, vel frigidum in summo, totum

tum verò ad contrarium diſpoſitum, hoc caſu non ſunt exhibendæ aquę Thermales reſpicientes & fouentes illam partem ſolam, quia maximè nocerent habitui totius corporis, v.g. ſi quis habet ventriculum imbecillem, frigidum, plenum pituita, frigida, craſſa, viſcida, ex mala victus ratione; deinde haberet totum corporis habitum calidum, ſiccum, bileque abundaret, talis profectò non debet bibere aquas calefacientes potentia, ſed temperatas, quamuis morbus, & affectio ventriculi illas requirat; quia ex nimia calefactione corporis poſſet generari alius morbus, & intemperies peſſima introduci, ex qua ſcabies, lepra, & herpes, ac ſimilia reſultarent. Idem dicendum de aquis refrigerantibus in hepate calido, in renibus calefactis, habitu vero corporis, & ventriculi frigido; periculum enim eſſet, ne talis potator aquæ huius refrigerantis, redderetur tumidus, totus corporis habitus refrigeraretur valdè, ac fieret hydrops; quare ſemper conſiderandum, vt plus ſit iuuamentum, quam nocumentum, iuxtà illud Hippocratis vide vt proſis, nec noceas. Vnde ſi cũ ratione, & vſu recte adminiſtrentur aquæ Thermales medicatæ, ita rectificant totam complexionem, vt affectæ parti virtutem, & maius robur ſemper tribuant, atque comparent, maximè ſi facilè reddatur ob venas latas, per vrinam, vel per ſeceſſum exeernatur, vt obſeruauit Fallop. in ſeipſo. Et quando exhibentur, ſemper conſulendum alteri parti, de qua dubitatur, vnctionibus, fomentis, emplaſtris, vt infrà dicetur. Neque timendum eſt de quolibet vſu opportuno aquarum Therm. in illis, qui morbo Gallico ſunt infecti; non dico pro tollenda & extirpanda intemperie gallica, ſeu ſucco illo ſordido, ac pernitioſo, cum à natura, vel potius à Deo languorum omnium vero Medico, ſit iam demonſtratum certum, ac longiſſimo vſu vbique comprobatum remedium contra ipſam tabem Gallicam, & eius ſeminaria: ſed contra alia ſua ſymptomata aquæ Thermales ſunt bonæ, ac vtiles. Natura enim aquæ Thermalis manifeſtè & potu, ac alijs vſibus minimè nocet, archana, & ignota nobis, ſiue à tota ſubſtantia, ſi non iuuat, ſaltem non obeſt eis. Huius vtilitatis poſſunt eſſe teſtes, qui morbo gallico infecti, poſt potũ decocti ligni, ſalſæ, chinæ, & poſt etiam vnguentum Mercurij ſe ſe ad varias aquas Therm. contulerunt, & quotidie conferunt, ac ſingulare iuuamentum ab eis percipiunt, tum pro contemperanda, ac minuenda hepatis, ac renum caliditate, tum pro leniendo dolore neruorum, ac artuum, pro tollendis etiam vlceribus, pro minuendis, & abolendis tumoribus, ac duritiebus aliquibus corporis, proque ſedatione cutanei affectus vitioſi à tali gallico morbo cauſati: ſtomacho quoque iuuant, & laxatas partes corroborant, modò in quolibet vſu pluribus diebus pergatur, prout à morbo indicatur; clarum enim eſt remedia longo vſu adminiſtrata potentiora ſemper fieri.

De modo bibendi aquam medicatam, & quid ante faciendum. Cap. XIV.

QVI tutò, atque fęliciter aqua Thermali medicata cupit vti, sine dolore, tormine, periculo febris, conuulsionis, vrinæ retentionis, & à ventriculo amplectatur, per venas penetret, ac per vrinam, vel ventrem egrediatur, sub nomine medicamenti tantum respicientis, vel corpus totum, vel aliquam partem particularem, aut euacuando, aut calefaciendo, refrigerando, siccando, alterando, vel corroborando, vt supra dictum fuit, corpus suum non semel ac leuiter, sed bis, ac ter, si opus erit, diligentissime, atque ex arte, & medicinæ præceptis, ante principium potus aquarũ ipsarũ medicatarũ expurget, atque euacuet necesse est semper. Sic enim materiæ crudæ, pituitosæ, crassæ, viscidæ, tenaces, ac mucosæ, valentes vias ipsas venarum mesenterij, & vasorum renum obstruere, ac impedire, per quas aqua ipsa medicata transire, ac distribui debet, educentur, atque euacuabuntur, omnisque tolletur occasio retinendi aquam, & omnis actio fiet in corpore bene disposito; cum sæpè valde difficile sit corpora humoribus malis, vel superfluis, ex nimio appetitu in cibis, ac potibus, liberare, & maximè ventriculum: vnde Gal. 5. de sanit. tuen. 12. præcipiebat, quos in balneum deducere in animo est, eos multo ante medicamentis purgare oportere; & si sic in balneo, quanto magis pro potu erit purgandum. Nec est negandum aliquos temerariè potius, & empirice, quam vlla ratione motos, quãuis aliquando fęliciter, nulla præmissa purgatione, nullaque habita ratione constitutionis temporis, ipsas aquas thermales bibere, vt humores mali euacuentur, ac intemperies aliqua, vel imbecillitas alicuius partis melioretur. Ac eò magis iuuamentum sentiunt, si aquæ Thermales potentia, & virtute sint calidæ, propter mineram salsam, aluminosam, ac nitrosam, soluentes ventrem. Bibunt quoque duobus, tribusve diebus ante, aquas refrigerantes potentia dictas, minerales aquas de Tetutio, Balneoli, Apponi, Porretæ, & Lixiniani, ad lib. 5. & plus etiam. Audiui quoque multa de illa de Spa, in partibus Belgicis, & in Comitatu Lingonensi, quæ & lienem diminuit, ac redundantiam aquæ in abdomine per vias vrinæ educit, & ventriculo, iocinori, ac cæteris naturalibus visceribus amissum robur mirificè restituit, ac restitutum adeo confirmat, & roborat, vt homo, post eiusmodi aquæ vsum pluries quotidie repetitum, amissam prorsus recuperet sanitatem; vnde multi tenent, quòd firmè certam polliceatur salutem hydropicis, & ferè etiam confirmatis, ex Vido Vidio lib. 10. cap. 5. & Mauritius Cordeus com. supra primum Hip. de morbis mulierum, pagina mihi 330. oculatim se vidisse scribit, in iuuene & affe

ctione

ctione recenti de qua etiam infrà loquemur. Verum Gal. hanc praxim non admittit, cum iubeat, vt dixi, 5. de sanit.tuenda 12.eos, qui volunt intrare in balneum, prius esse purgandos? Si hoc iubet esse obseruandum per exterius, quid sentiendum est de illis, qui aquam medicatam bibere volunt? vel iussi sunt bibere absque vlla corporis præparatione, & humorum euacuatione? etiam si naturaliter ipsa aqua medicata valeat corpus euacuare. Quinimmo experientia sæpe comprobatur, optimè; & ex ratione purgata corpora, optimè ac fęliciter reddere aquam, citiusque, & tutius à morbo, seu intemperie liberari. Si enim in venis retineretur aqua, illicò collabetur in articulos, ac nouum generaret morbum. Pręceptum ergo, & tanquam lex communis sit, corpora ad omnẽ vsum aquæ prius esse purganda. At sciendum quod nunc sub nomine purgationis per medicamenta, intelligenda est etiam aliquando venæ sectio, si opus erit, ne humores in aliquibus ægrotantibus inflammentur, putrescant, & febres excitent.

His peractis eligendum est postea tempus non pluuiosum, non ventosum, nec frigidũ; sed sit dies tranquilla, in cæteris qualitatibus declinans modo ad calidum, modo ad temperatum, vel talem arte paratam, prout intentio erit refrigerandi, vel calefaciendi totum corporis habitum. Sicque in fine Veris, vel Aestate, ac principio Autumni tempus erit opportunum. Sat nunc est scire, quòd omnis frigiditas aeris aduersatur omnibus aquis, & lutis Thermarum, in quocunque vsu. Hinc dicimus quòd semper melius est habitare thalamum non ad terrenum, & bene clausum, prout opus erit, quam secùs, nisi temperies constitutioque tẽporis calida valdè faueret; ipsa enim frigiditas obstruendo vias, prohibet facilem euacuationrm aquæ: atque potissimum cauendum est à frigiditate pedum, ac crurum, dum bibitur aqua, aut dum post potũ deambulatur, ne tormina inducantur, aut impediatur vrinæ exitus. Secus enim facit caliditas aeris; quod vidi communiter obseruari in balneis Patauinis, & audiui de Villensibus, & alijs cum ratione administratis.

Quòd attinet ad victum, cum Gal. lib. de vsu Theriacæ ad Pamphilianum dicat, Medicinam nullam habere tam efficax remedium, quod solitum auxilium afferre valeat, si ei victus ratio vel resistat, vel non adiuuet; propterea tria sunt in hoc consideranda, qualitas, quantitas, & modus. Semper cibi eligendi sunt, in quocunque vsu aquæ, contrarij naturæ morbi, ex Gal. 11. simplic. medic. cap. de carne, & de Theriaca ad Pamphil. Vel enim vtimur aquis pro præseruatione vel curatione, vel melioratione, & ciborum qualitas eandem habere debet intentionem cum virtute aquæ Thermalis medicatæ, vt si refrigerat, refrigerantes sint cibi, si calefaciat, calidi sint cibi, dummodo aquæ transitum non impediant, aut ne alicui parti noceant. Sint cibi facilis digestionis, ac boni nutrimenti, serueturque pręceptum Hippocratis 2. aphor. 38. parũ

deterior,

deterior, suauior tamen cibus est præferendus meliori, sed minus suaui, in bona ac laudabili quantitate, vt modum non excedat, nec minor sit quam conueniat. Sufficiunt vntiæ sex, ad plus 8. panis, pro obsonio vtatur ouis, carne pullorum, caponum, pipionum, auium montanarum, & arborum, vituli, castrati, ac similium. Caueat ab acero, agresta, passa, herbis, aut in pauca quantitate, & leuiter eis vtatur. Bibere potest vinum pauciferum pro stomacho, ipsiq; sit gratum, dummodo non fluctuet in ventriculo, fumosumque sit, vt caput offendat; sat erit libra vna cum dimidia vini pro qualibet die, vesperi autem, cum die sequenti vult incipere bibere aquam medicatam, parum comedat, vel minus in cęna solito suo, dimittendo carnem, quod etiam alijs sequentibus diebus seruare debet, aderit enim longum tempus ad coctionem ciborum, vt semper requiritur, ne aliquis indigestus cibus trahatur ab aliqua parte corporis, & membro principali in potu aquæ, & mansionis ipsius in corpore, pariter cum in mane vacuus erit venter, facilior erit aquæ transitus. Surgat postea summo mane, hora ortus solis, restauratisque spiritibus in nocte propter somnum, virtutes omnes erunt fortiores, & ventriculus vacuus à cibo omni, quod erit præceptum obseruandum ante potum aquæ, & in quocunque alio vsu, vt semper ieiunè administretur, aut transactum sit tempus, & hora digestionis. Ventris quoque inferioris beneficium procuret habere, ita vt nullum excrementum remaneat in intestinis, ac ventriculo, sed completa sit, aut facta concoctio in ventriculo, & vt dicitur in stomacho, ne viæ ab aliquibus humoribus occludantur; aliter permagna solent venire nocumenta ex Oribasio de mente Herodoti, quod monuit etiam Gal. eod. 5. lib. de sanit. tuenda, & si aluus non obediat, inijciatur pro irritatione clyster ex eadem aqua cum oleo communi. Deinde vestimentis indutus inambulet aliquantulum, moderatè tamen per thalamum, ex Aetio de mente Archigenis eo serm. 3. T. 3. cap. dicto, ita vt non sudet, nec corpus nimium incalescat, aliter diuertetur materia ab vrina ad sudorem, & facillime, propter quandam vniformitatem. Quòd si modestè incalescet, calor naturalis fortior reddetur, & facilior, ac promptior erit aquæ transitus, atque exitus. Verum si non potest deambulare, fiant frictiones leues, vt dixi; sic enim aqua citius attrahetur à venis vnà cum sua qualitate, viscera quodammodo incalescent, & ita robustiora reddita, validius attrahent aquæ facultatem, meliusque expellent, & reddent aquam medicatam sumptam. Noxij etiam humores educendi, si aderunt, moderato illo calore reddentur fluxibiles, ac habiliores, vt ab aqua abstergantur, abluantur, & educantur, nec non intemperies præter naturam corrigetur.

Ne verò ventriculus nimis distendatur, patiaturve, & pyloron obstruatur, ac aqua, vel non reddatur, vel per vomitum excernatur sine vlla vtilitate, sedens ipse patiens bibere debet aquam medicatam, absque violentia,

lentia, non continuato ordine, ac tempore, nec vno haustu tantum, & cyatho, quasi deuorans, sed leuiter, pluribus haustibus, pluribusque vicibus, ac cyathis, aliquando deambulando per thalamū, aliquando sedendo, vt ad summum hora vna cum dimidia in hac potione aquæ quotidie consumatur. Dioscorides loquens de sero, præscribit tempus durationis, quo bibitur, esse per interualla, cōmuniterq; Græci exhibent quatuor, & quinque libras. Quantò ergo maior erit quantitas aquæ medicatæ potandæ, in plures etiam atque plures vices partienda erit, ad duos, ad tres, & plures cyathos, pro singula vice, ac intermissione dicti temporis, quod docuit Hip. lib. de salubri dieta 19. Bibat tardius primum, deinde velocius, Gal. in commen. reddit rationem, si affatim à principio bibatur, continuò biberet eam, nec priusquam omnem ebibisset, aliquam partem redderet; secus aqua prima vice sumpta, pauca illa mora interposita à ventriculo actuabitur, amplectetur, & incipiet egredi, ac reddi, vel per vrinam, vel per ventrem, antequam alia superueniat, & tota bibatur. Tutius quoque est, atque ex præceptis Artis, vt calida semper sit aqua potanda, (quando in quantitate sumitur) non tamen adeò, vt assumi non possit, vel prouocet sudorem, & caput petat, sed tantum superet teporem lactis nuper mulcti, & qualem natura bibentis magis desiderat, ac à ventriculo amplectatur; citius enim Medicinæ calidæ, moderatè tamen, actuantur à calore naturali.

Calefiat aqua medicata potanda, illius diei tantum, in duplici vase, balneo Mariæ, & ne euaporet, claudatur orificium, in quo adest aqua, & tantum caloris acquirat, quantum bibi possit, vt dixi. Obseruandum, quòd aquæ Therm. quæ longius asportantur, vel domi etiam retinentur, benè clausæ, imbecilliores semper redduntur, & ideo in maiori quantitate debent sumi, ac potari. Non defuerunt aliqui, qui fęliciter aquas medic. actu frigidas potarunt, præcipuè si frigidæ scaturiant, & erumpant, vt illa B. Virg. in Agro Patauino, aqua Aquarij, Lixiniani, de Spà, & similes. Sintque patientes assueti frigidam bibere, aut quòd ventriculus à frigidis non ledatur, sed potius delectetur, vt Gal. docet primo simpl. medic. cap. 5. Omnia medicamenta, quæ veniunt examinanda, omnis extraneæ, valentisque, tum caliditatis, tum frigiditatis, aliena debere esse, nedum aqua. Sunt etiam, qui Aestate, in mane ieiunè, more syrupi, & in meridie, post sex, pluresve horas à cibo sumpto, & ferè digesto, ad minuendum æstum extraneum, & ad contemperandum internum calorem, nec non sitim tollendam, bibunt cyathum aquæ Thermal. medicatæ, potentia frigidæ, & actu quoque, saluti suæ consulendo; resoluuntur enim aliqui vi caloris ambientis, ac tunc vires recreantur, & persentiunt iuuamentum magnum ex tali aqua refregerante, sicq; præseruant se ab imminenti intéperie vitiosa, & morbosa. Hoc obseruaui in multis Parmensibus, qui, factis pluribus, & repetitis purgationibus,

tionibus, nullo modo reddebant aquam sumptam, in quantitate consueta, & limitata ad 7.8.& plus libras,& dimissa magna quantitate, sumebant quotidie lib.9.aquæ medic. cum vncijs quinque alicuius proportionati fęlicissime, sicque perseuerabant per mensem, quolibet mane. idem dicendum in fluxu dysenterico, vt suprà. Obseruandum quoque semper est, quòd sola illa quantitas aquæ medicatæ calefiat, (vt dictum est) quæ quotidie potui illi sit sufficiens, & non plus; nè spiritus sulphurei contenti euaporent, vel alij, & aqua amittat de virtute sua: post potum aquæ, comedat parum cotonei, vel cotoneatæ cum saccharo,aut persicatæ, vel citri, vt corroboretur stomachus, & caput à vaporibus non lædatur. Aliud etiam animaduertendum, quod communiter omnes,dum bibunt aquam Thermalem, vel post assumptionem, solent leuiter per thalamum ambulare, vt citius ac facilius eam reddant. Motus enim causa est facilioris transitus, iuxta illud cum vis helleborum ducere, moue corpus. Verùm sciendum,si aqua sumatur in modica quantitate,ratione corroborationis ventriculi, ne calor distrahatur à ventriculo, melius, & tutius est quiescere. Sunt etiam sumentes in magna copia, qui citius faciliusque reddunt eam, non solum motantes in lectulo, sed pannis calidis fouent ipsum ventriculum, & abdomen, & alij dormiendo percipiunt adiumentum in exitu aquæ: nolentes tamen stare in lecto, debent in thalamo quiescere,non ambulare, ne prouocetur sudor, malique humores trahantur ad cutim, & inde aliquod damnum sequatur. Hora prandij incerta est, tribus tamen modis cognoscitur. Primò obseruanda diligenter quantitas aquæ redditæ,vt si tantum vel paulò minus reddiderit, quantum biberit, siue per intestina, siue per vesicam, claram, qualis assumitur, neque sentiat grauamen,vel pondus in corpore, tunc potest comedere pro prandio, siue duæ, siue tres, vel quatuor horæ tã tum essent transactæ ab assumpta aqua. Secundò cognoscitur hora prandij, quando mutatur color in vrina, & maximè cum erit coloris palearis, vel crocei; quoniam aqua iam egressa est è ductibus vasorum, & quod remanet intus, à natura retinetur ad aliquem vsum nobis ignotũ. Aut hoc est, quia patiens indiget maiori calore naturali, qui tamen calor fouetur à somno, sempeŕque aliquid epotæ aquæ remanet intus in corpus, quæ postea euacuatur. Hinc fit quod multi magnam copiam aquæ, siue vrinæ, nocturno tempore solent reddere; ideo alienum non est metiri totam vrinam eiusdem diei naturalis 24. horarum post potũ aquæ medicatę, ac ponderare, si vis esse certus, an tanta aqua sit reddita, quanta fuerit potata, habita quoque ratione & consideratione ferculorum liquidorum, & vini potati in illa die: quare cum sæpius non soleat reddi tota aqua in mane, sed alia pars post prandium, ac in nocte, ob id cum vrina redditur colorata, & perseuerat colorata, si transactæ sunt quatuor horæ, & nullum sentiatur pondus in stomacho, prandium sumi

potest

potest ad sui libitum . Tertio solent alij portionem aquæ reddere per secessum, vnde si neque per secessum, neque per lotium, neque per sudorem aliqua portio competens reddatur, & transactæ sint quinque, aut sex horæ à principio potationis, non amplius tardare debent prandium, non sentiendo grauitatem, & molestiam in corpore à prandio patiens quiescat, non dormiat, sed hilariter, ac læte cum sodalibus vitam trahat; nam mœrores, molestiæ, timores excruciant homines, & impediunt medicinarum actiones; vitet quoque sudorem. Hinc non laudo eos, qui bis in die sumunt aquam medicatam, in magna copia. Fieri enim non potest, quòd viæ, per quas transire debet aqua, sint liberæ, immo cruditates aliquę ab aqua in corpore generabuntur, & obstructiones in uenis meseraicis inducentur, quæ postea sunt in causa multorum malorum. vnde perperam Medici Spadenses agunt, cum præbeant & consulant propinari pro potu aquam suam bis in die, & in magna quantitate, & consuetudo ista est damnanda, vel saltem corrigenda; nam ex Herodoto à medicamentis calidis, vt est talis aqua, solent nasci magna nocumenta si ipsa vtamur, nondum confecta prima coctione ciborum; Ventriculus enim omnino debet esse vacuus à cibis, quando quis in mane vult bibere prædictam aquam. Bibatur etiam aqua Therm. semper continuatis diebus, nullo modo interpollatis, vt natura fortior euadat, ac conseruetur in eius expulsione fortis; melius enim eam quotidie reddens (vt quotidiana experiētia cognoscitur, & ego sæpe obseruaui cum alijs Medicis,) quasi natura distrahitur ab expulsione, & pigra euadit ob illam simplicem intermissionem; quamuis non damnandus modus illorum qui alternatim exhibent aquam salsam, & in die intermissionis, imponunt enema eiusdem aquæ, vt docet Theodosius Epist. 40. de aqua Porretæ, & nunc obseruant Etrusci de aqua Tetutij balnei in corporibus debilibus, & morbis vterinis.

De quantitate aquæ bibenda. Cap. XV.

CIRCA hoc caput sciendum, quod quantitas aquæ bibenda duobus modis consideratur: vno quidem modo particulariter cuiuslibet diei: altero vero modo de tota illa quantitate omnium dierum vnitorum à quolibet sumenda. Quantitas cuiuslibet diei indicatur à morbo, ab ætate, à viribus, à consuetudine & sic modo maior quantitas sumitur, modo minor. Quantitas vniuersalis totius temporis, & pluribus diebus sumenda indicatur à morbi vigore, & natura ipsius communiter, in adultis ad lib. 70. vel 100. ascenditur. Quare prima die patiens bibat mensuram quatuor heminarum, deinde sensim, & quotidie augeatur vsquequo ad 7. & 9. heminas perueniat, sicque reduplica-

tà erit prima quantitas aquæ sumptæ primo die. Continet hemina, vt habet Gal. 6. per genera. cap. 8. modo vncias nouem, modo 12. mensurales, & 10. ponderales. Et si quis de hoc plura cuperet, legat Mercurialem suo tractat. de compositione medic. cap. de mensuris; communiter ex Fallop. 1. die sumuntur quinque vel sex libræ. Sed hic est sciendum, quòd certa regula & numeri dierum, & quantitas particularis non potest tradi; vel enim volumus euacuare, vel calefacere, vel refrigerare, aut corroborare corpus, vel infirmus puer est, vel senex, vel mulier, vel corpus imbecile, vel validum, & tunc variatur. Quare pro firmo habeatur, quòd semper ratio ætatis, sexus, temperamenti, aeris, & similium con siderari debet, & diuersitas morbi, causarum; & symptomatum. Non enim natura omnes morbos ijsdem remedijs æqualiter curat, ac sanat languores; & quantum temporis his aquis vti debemus, ipsa necessitas demonstrabit, & tolerantia patientis indicat semper mensuram, & quan titatem aquę, & numerum dierum, ad 10. ad 12. dies, plus minusve; quod etiam continuè vidi obseruari Patauij ad mentem Dioscor. in exhibitione seri, & aliorum Græcorum, Aetij de mente Archigenis & Pau li. Ideo semper debemus incipere à pauca quantitate, & sensim postea augere dosim, vt à duabus lib. vel 4. aut 5. respectu ætatis in principio potationis, cum libera sit nostra voluntas ex communi vsu Medicorum rationalium, deinde quotidie addere lib. 1. aquæ, donec perueniat ad quantitatem eam, quæ non aggrauet ventriculum, secundum eius capacitatem, & tolerantiam, vt sint qui reduplicent quantitatem aquæ prima die sumptam, & in illa persistunt per alterum diem tantum, ne vomitus, aut aliud symptoma accidat; sed nunquam, aut raro excedunt quantitatem duodecim librarum in vno die, nisi essent naturaliter magni potatores. Bene verum est, quòd quantò plus sumitur ac bibitur, tantò celerius comprimitur, expellitur, & è corpore exit; non enim paucą quantitas potest perbellè vacuari, vt experientia docet; neque aquæ Therm. medicatæ possunt perficere opus suum, nisi in copia proportionata cum morbo, & habitu corporis assumantur, vt à natura possit guber nari; alioquin moueret, & non vacuaret, quantum satis est. Malæ autem materiæ, dum mouentur, agitantur, simulque miscentur, deteriores euadunt, ac ipsæ, & vapores earum varias partes affligunt. Eandem quoque regulam obseruare oportet, cum æger vult cessare à potu aquæ medicatæ, non subitò à maxima quantitate desistat; sed paulatim quotidie diminuenda est quantitas aquæ, vt etiam singulo die augenda; non enim tolerat natura repentinas mutationes, iuxta doctrinã Hip. 2. aphor. 51. Plurimũ atque repentè euacuare, vel replere, calefacere, vel refrigerare, periculosum est, vt Gal. in documento pro puero Epilept. dicat à paruis, & tardis motionibus incipiendum, deinde ad vehementiores & celeriores motus deueniendum; nam subito ab intensis exercitijs incipere, non

solum

solum imbecillibus, sed robustis corporibus perniciosum est: vnde Oribasius de mente Herodoti 10.collect.cap.5. hæc habet de aquis quæ potantur, siue calidæ sint, siue frigidæ, in omnibus sit quædam temporis apta mensura. Nam si vsurus sit quispiam his aquis per tres hebdomadas, ita exordietur, vt incipiat à dimidia hora, deinde paulatim progrediatur, vt per hebdomadam spatio duarum horarũ ad plus perficiat, hoc interuallo ad secundam vsque hebdomadam perseuerando, ab ea tantundem auferendum quotidie, vt in prima mensura desinendum sit, & ita vicissim subtrahendum semper est aliquid aquæ. Quod desumpsit ab Hip.2. de morbis mulierum nu.11. vbi loquens de quodam fluxu mulierum, dicit lac bubulum bibat calidum de vacca, sit autem mensura sex heminarum Atticarũ, incipiatque à duabus heminis, & singulis diebus vnam apponat, donec sex fiant, & inde paulatim ad duas rursus descendat, subtrahendo paulatim quantitatem lactis, ac spatium dierum erit pluribus, vel paucioribus diebus, habita semper consideratione habitus corporis, viriumque, vt dixi.

Scribit Plin.lib.31.cap.6.quòd aliqui, vt tenerentur magni potatores, & magni viri, magnam copiam aquæ bibebant, ac gloriabantur, & aliquos ita tumidos factos vidit ex potu aquæ, vt anulus, quem gestabant digitis, tegeretur à cute, cum reddi non posset multitudo aquæ potatæ. Fallop. cap.10.refert historiam Presbyteri, qui tantum aquæ Apponitanæ bibit, vt facies, ac reliquæ partes corporis quadruplo maiores redditæ, trium dierum spatio, ab amicis non cognosceretur. Ideo cauendum à magnis istis potationibus à principio, quamuis aliqui aliter obseruent, maxime in soluentibus aluum. Memini me legisse in quadam scriptura Gallica, de virtute aquæ Tongri, apud Belgas, vulgò de Spà, & de tempore, ac modo bibendi talem aquam: quod quidam Flandrus ex Liegha anno 1576. facta prius conuenienti purgatione, bibebat in mane lib.32.aquæ de Spà, & totidem post prandium sine nocumento aliquo. Alij ad æstus minuendos solent in mane bibere lib.1.aquæ Villensis, Virginis, & similes cum modico iuleb, aut saccharo, & iucunda est potio; hocque faciunt per multos dies exercendo quotidie sua officia, & exeunt domo, nec vllum incommodum sequitur, prout sæpe expertus sum. Huius opinionis fuit Frascatus lib.3.& addit, quod multi hac experientia ducti, cum ob negotia non valeant aquam Medicatam Thermalem, more solito Medicorum rationalium, bibere Aestate, & quando ob negotia incalescendum illis est, tribus, aut quatuor horis ante prãdium, magnum haustum aquæ fontis Returbij frigidæ bibunt, quo totum corpus adeò refrigeratur, vt multi præseruentur ab Erisipelate, ab alui profluuio, à febribus diarijs, à tertianis, in quas incurrere solebant, cum membra naturalia ad temperiem reducantur, ac contraria occasione eadem quantitas aquæ potentia calidæ alijs maxime salubris est ad fugandos,

gandos, & sanandos alios morbos. Multi enim sunt qui non possunt ferre maximam quantitatem aquæ, & ideo cibi, ac potiones medicamentosæ sumptæ quotidie per multum tempus, valent & ad præseruandum, ac curandum, vt experientia docet. Quam opinionem Vidus Vidius lib. 10. cap. 27. & lib. 11. cap. 13. sequitur, & ego amplector cum Gal. 9. sec. loc. 4. de mente Scribonij Larghi, qui ad morbum colicum scribit potionem per annum totum sumendam; verum quia Medici aliquando est intentio, vt aqua Thermalis reddatur per renes, morbo ita requirente, tunc cum primo, vel secundo cyatho aquę misceatur aliquod dulce; cuius ratione citius amplectitur à ventriculo, & à natura attrahitur per venas, vt iuleb viol. ros. syr. de duabus, de liquiritia, & cum Dioscor. de absinthio; roborando enim renes, prouocat vrinam. At si intentio sit, vt aqua reddatur per secessum, tunc cum primis duobus cyathis, & primis diebus permiscendũ est modo sal, modo mel ros. sol. modo syr. ros. sol. modo manna, vt ratione horum aqua non ingrediatur venas, sed magis solicitetur aluus, ac proritetur à iam dictis solutiuis, quasi natura doceatur expellere materiam noxiam. Moderni aliqui exhibent vncias quatuor, aut quinque olei amigd. dulcium recentis pro primo die; sicuti etiam alij exhibent quatuor, aut quinque libras aquæ Tetutij, vel nostræ de Lixin. & similium cum validissimè soluant ventrem, deinde bibunt aliam aquam conferentem morbo patientis. Mercurialis tomo primo consiliorum numero mihi 103. consulit iuueni ad exsiccanda intestina, facta vniuersali purgatione per quatuor dies, singulo mane lib. 10. aquæ Tetutij, Idem Mercurialis lib. 4. Consil. hortatur quendam Thesaurarium Pontificium, quòd bis, terve in mense bibat aquam Tetutij, vt pituitosa materia per intestina educatur, sed per biduum ante semper sumat in mane oxymellis simplicis, & mellis rosati, singulorum vnciam vnam. Insuper recordandum, quòd Medicus semper debet considerare qua intentione præbeat aquam ægrotanti, vt quæ remedia morbus requirat pro sui ablatione, sic etiam quæ miscenda cum aqua illa, vel ante exhibenda, aut foris applicanda. Quare & intrinsecus, & extrinsecus multa possunt administrari, quæ simul admixta in ventriculo citius, ac maius auxilium præstabunt ægrotanti, & multò magis si aliquo extrinseco adiuuetur, v.g. pro ventriculo, cum aqua de Lixiniano iuuabit, si sumatur syr. de cortic. citri, de mentha, de absinthio, ad vnc. 1. ante aquam; pro liene, dum calefit aqua imponatur secum citrach, vel radices cappari, vel sumat ante aliquod de trochiscis capp. pro hep. refrigerando succus cicorei ante aquã Villensem, vel Virg. & simil. Sic etiam vnguenta, ac cerata varia possunt parari pro stomacho, hepate, liene, renibus, aut alijs partibus, quibus volumus opitulari, & tandem vel adstringentia, vel attenuantia, vel calefacientia, vel refrigerantia eruntin vsu. Hunc modum obseruant Medici Etrusci, & alij Medici

experi-

experimentati. Frascatus lib. 3. de aquis, ad longum de hoc scribit, vt aquę facilius, ac citius virtutem suam ostendant, quod mihi summopere placet, & fęliciter expertus sum sæpissime. Insuper est sciendum, quod duplici ratione bibitur aqua Therm. medicata, vel vt expurgetur, & cor roboretur totum, aut aliqua pars, & tunc in maxima quantitate sumenda est, & somnus post potum prohibendus; vel intentio est immutare temperaturam tantum, & tunc in pauca quantitate sumitur, & somnus maximè conuenit, ac si sumeretur in mane, loco syrupi consueti. Similiter pro corroboratione partis affectæ, vt in sputo sanguinis non per erosionem, item in gonorrhęa non gallica ex seminis profluuio potest calybeari, vel deaurari aqua thermalis pro potu, nisi timeatur thoracis angustia, cum Gal. 7. de facult. med. secundum locos.

An vnaquæque aqua medicata per se sola sit bibenda; an cum alia medicata miscenda. Cap. XVI.

POSTQVAM diximus, qui apti sint bibere aquam medicatam, potentia, vel virtute calidam, vel frigidam, nec non euacuantem per vesicam, aut secessum, quo tempore sit bibenda, & quanta sit bibenda, & quanta quolibet die, ac quòd possit omnibus annis exhiberi: nunc ostendamus, an vnaquæque aqua Therm. simpliciter per se sola sit bibenda, an mixta cum alia aqua Medicata, & minerali; an vna ante aliam eademque die, vel vna primis aliquot diebus continuis, deinde alia sequentibus bibatur. Potest enim esse vel quod morbi sint complicati, & inter se contrarij, vel saltem membra corporis nostri sint temperamento aliquo contraria, v. g. si aliquis haberet renes calidos, vel hepar calidum, ventriculum verò, & intestina frigida, vnde inæqualia medicamenta ac contraria essent exhibenda, vel saltem aliquod medicamentum ita temperatum, vt vtrique probè & vtiliter resistat, atque dum vni membro prodesse optatur, alterum quantum fieri potest minimè afficiatur, vrgentiori tamen semper est instandum, altero non neglecto, ex Gal. 7. meth. 12. primo ad Glauc. 14. primo aphor. 16. & alijs in locis. Simplex affectus propria eget curatione; plures verò copulati inuicem tantum habere communem indicationem curationis merentur, quãtum copulabũtur, nobis obuiantibus, vel ei, quod magis vrget, non tamen alterius cura posthabita, vel omnibus pari studio succurrentibus; In hoc problemate variæ fuerunt opiniones scribentium; Theodahadus Rex scribens Comiti ex Cassiodoro lib. 10. variarum epist. 29. dicit, vtere igitur aquis illis primum potu delinitorijs; deinde Therm. exhibitionibus siccatiuis. Theodosius Bonon. in quadam epist. nu. 41. scripta Doctori Andreæ Turino 1537. dicit, & cum dubitas an prius Porreta-

na, vel Lucana sit exhibenda, ego prius Porretanam exhiberem, deinde Lucanam, vt si aliqua caliditas fuisset derelicta, à Lucana emendetur, & ego hoc modo soleo procedere; cum enim euacuaueris, superest vt confortes: Lucana enim est veluti confortatiua respectu Porretanæ, & caliditatis superfluæ remissiua; & hunc modum in pluribus expertus vidi contulisse. Ioannes Donatius, in suo lib. de aquis Villensibus, consulit vt post vsum aquarum medicatarum, per vnam, aut alteram diē vtatur patiens aqua contraria, vt medeatur iniurijs, quas aliqua aqua Therm. inferre solet, modo ventriculo, modo iocinori. Hos sequitur Montanus consil. mihi 279. dicens vnamquamque aquam per se solam esse bibendam; & addit neque ferreæ solæ placerent, neque sulphureæ; placeret tamen vt suo tempore biberet aquas calidas Vere, sicut media Aestate ferreas, neque enim aliter tutam putarem potionem in nostro ægrotante. Trincauella idem tenet consil. 1.6.13.60.62. consulens in ventriculo frigido cum dolore, hepateq; calido prius exhibendas aquas Aquarianas, deinde Veronenses, Villenses, vel B. Virginis, occurrendo tamen ventriculo cũ oleis calefacientibus, sicut consf. 69. dicebat Montanus Aquarianam aquam in ventriculo frigido exhibendam esse. Neque percipietur calor in hepate calido, modo liniatur infrigidante Galeni recenti, optimè parato, & hepar, ac longitudo renum & lumborum; remediumque est securissimũ ex ipso tunc experiente, in tempore illo calido; eandem opinionem tenet de aqua Apponitana, cum eadem cautela, ac defensione, consilio mihi 228. idem in consil. 157. exhibet aquas refrig. nempe Cald. in hep. calido, occurrendo ventriculo cum oleis calefacientibus, ex garioph. nuce muscata, addito mastice, ac laudano; sequenti consil. exhibet aquas Lucenses in hep. ac renibus calidis, ac dicit non obstare ventriculum frigidum, & humidum; cum omnes Thermales aquæ habeant semper vim siccandi cum Gal. 1. de tuenda 7. Hinc Mercurialis 2. tomo consf. 25. docet, si timeatur siccitas aquarum Thermalium, pro contemperatione, maceranda esse in aqua folia maluæ, vel lactucę per noctem. Attamen sciendum, quod in aqua Villensi adest alumen, cum manifestè roboret ventriculum, & viscera omnia ex Fallop. & Trincau. lib. 2. consf. nu. 62. dixit Villenses aquas ventriculo esse valde amicas, quos sequuntur Capiuacceus, Mercurialis, pluribus in consilijs, & tota schola Medicorum. Fallop. cap. 11. refert Medicos Etruscos miscere in primo cyatho aquæ medicatæ aliquid dulce; quando volunt aquam reddi per renes, vt venæ citius attrahant, si verò per intestina misceatur aliquid salsum, vel aliud quòd proritet magis intestina, iuxta illud Gal. 2. ad Glauc. 2. quando non habemus vinum, cui sit mixtum aqua marina, tunc apponatur sal; quamuis loquatur de externo medicamento 9. tamen secundum loc. de mente Triphonis laudat in affectu indurato splenis vinum in potu, cum aqua marina, post quoddam balneũ

ibi

ibi descriptum. Exhibent quoque Romani quatuor aut quinque libras aquæ Tetutij primò, deinde exhibent aliam aquam magis temperatam, & Fallop. maximè laudat hunc modũ, cum occurratur etiam alijs symptomatibus, nempè ardori vrinæ, quod fit, quando aqua exhibita propter ventriculum aut intestina refrigerata, capit iter ad vesicam, secumque ducit excrementa acria, quæ per secessum quamprimum deberent excerni, atque ex ipso, in eodem cap. habemus multos aberrare, qui vno, & eodem tempore anni exhibent aquas calidissimas, & frigidissimas potentia, quia tempus opportunum, pro exhibendis aquis calidis, est principium Autumni, & Aestatis, ac vltima pars Veris. Contrà ad refrigerandum, contemperandumque totum corpus, pro potu aquarum frgidarum potentia est tempus calidissimum, vt supra etiam dictum fuit; nam in tempore calido habitus totius corporis est apertus, & aqua facilè transit per renes. Mercurialis consil. 10. primi lib. pro muliere sæpe abortiente consulit, vt per sex dies prius bibat aquam Tetutij, deinde per alios 8. dies Aquariensem aquam de more potabit: Fracanzanus Medicus Clarissimus (vt intellexi) solebat permiscere aquas calefacientes, & refrigerantes simul pro potu, quando affectus erant contrarij, & membra habebant intemper. contrarias, quod forsan uoluit ostendere Trincauella lib. 1. conf. nu. 21. in temperamento calido, & humido, dicens, Balnea Patauina, aut alia pro potu ita possunt moderari, vt illis quisquis tutò possit vti, post exquisitam tamen corporis purgationem, etsi quis illis ex ratione vtatur. Quòd si timetur horum omnium balneorum caliditas, tẽperetur tanta aqua, vt neque illa admodũ obesse possint; cui & experientia testatur, quotidie enim videmus multos, qui dum sitirent, prius ea accepta aqua, sitis adeò lenita est, vt paulo post, neque potum desiderarent: occurritur præterea & illorum membrorum caliditati, victus ratione inclinante in contrariam qualitatem, & illinitionibus, & succis dictis. Neque credendum est Trincauellam velle intelligere per aquam aliam, aquam simplicem potabilem, ac ad cibos communiter parandos aptam, & non Thermalem, cum Patauij copiosè posset habere aliam aquam Thermalem temperatam pro correctione, & refractione caliditatis baln. Patauin. calidorum, Apponi. S. Petri, & similium actu ac potentia; quẽadmodum B. Virginis, ac Lastræ. Recordorque audiuisse publice, & in quibusdam meis scriptis inueni, in collegio quodã facto pro Sacerdote, propositas fuisse à Doctissimo Mercuriali in potu aquas S. Petri, mixtas cum aqua Lastræ, quæ tamen aquæ S. Petri calefaciunt, & illæ Lastræ sunt temperatæ, cum habeant eandem ferè virtutem, quam habent aquæ B. Virginis ex Frigimelica, & Bellacato, attestante Fallop. cap. 18. recordor etiam Cappiuacceum pro stillicidio capitis in quadam muliere miscere aquam Lastræ, & Tegulæ vt temperies capitis conseruaretur tempore illo calidiore, dum administrabatur, & contulit.

Hæ sunt opiniones, quas inuenire potui de modo potus aquarum Thermalium, an vna per se sola sit potanda, an vna ante aliam, diuersi tamen temperamenti, an vna mixta cum alia, vno, & eodem tempore. Quas opiniones teneo omnes esse bonas, & continue in praxi ex arte esse obseruatas, & sicut bibitæ transeuntes per partes corporis nostri, eas semper alterant, ita mutuo calidæ, vel frigidæ à seipsis transmutantur, atque remittuntur. Quare si intentio Medici sit sola ad alterandum aliquam partem corporis, puta calefaciendam, vel refrigerandam, tunc sola illa est exhibenda, calida nempè, in tempore temperato, vt supra abundanter dictum fuit, & frigida potentialiter in tempore calidissimo, seruatis tamen semper, quæ ex arte pro tutela alicuius partis sunt seruanda; potest & eodem die, vel pluribus exhiberi primo aqua salsa calefaciens, vt excrementa pituitosa à ventriculo, & intestinis abluantur, detergantur, & educantur, deinde alia aqua minus calida virtute, eadem die, vel sequentibus, vt habeatur intentio calefaciendi, sed non intensè; aut aqua sit valde refrigerans potentia, vt immoderatus calor aliarum partium temperetur atque remittatur. Quam praxim sæpe oretenus audiui, cõsului, & vidi obseruari continuè à sapientissimis illis Doctoribus, Bellacato, Paterno, Cappiuaceo, Mercuriali, Aquapendente, Stefanello, & Bottono, meis præceptoribus. Miscetur etiam vna aqua Therm. cum alia aqua ex Therm. & medicatis aquis, siue calefacientibus, siue refrigerantibus, vel vt resultet quædã temperies in aqua sic mixta, similis ferè in gradu pro curando, ac profligando aliquo morbo particulari: vel secundo fit mixtio & compositio ex diuersis aquis facultate varia, & contraria inter se, vt aqua sic mixta, cum proportione debita, acquirat temperiem mediam, quoad caliditatem, vel frigiditatem potentialem; nam fortitudo, & potentia vnius aquæ super aliam non attenditur penes excessum in multitudine, vel magnitudine quantitatis, sed virtutis, vt si posueris lib. 1. aquæ amaræ in lib. 10. dulcis, tota redderetur amara; similiter si in lib. 10. aquę potentia calidæ permiscueris 20. aquæ potentia frigidæ, tota redderetur & erit temperata. Quare cum temperatæ sint, possunt feruorem viscerum remittere, ipsumque temperare, & æquare, absque læsione aliarum partium, & maximè ventriculi, qui proculdubio maximè corroboratur per quandam incalescentiam; siquidem medium comparatum extremis semper habet rationem contrarij, aliqua potentia, ex primo Physic. 50. quinto Physic. 6. & 52. comparatiuè tamen sicut aquam tepidam calidam refrigerare dicimus, ita aquam tepidam frigidam calefacere dicemus, si secum misceatur. Quod docuit Gal. 1. de vsu partium 13. Balneum moderate calidum occupatos valido æstu præsentius refrigerat, sic magna frigiditate affectos promptius calefacit: Idem libro de marcore cap. 7. & aquæ calefacientes quodammodo attenuant materiam mucosam, & sunt veluti materia adiuuans, fouens

uens, & conseruans calorem natiuum aquæ, roburque addens ipsi aquę, cum aliquando retineatur & non reddatur ob magnam ipsius aquę imbecillitatem, sicut aliquando ob aliqua impedimenta supra relata, & infrà Deo adiuuante dicenda. Quare si Medicus rationalis cupit aliquam aquam esse temperatam, sed propter aliquem morbum calidum cuperet, quòd magis pertransiret per renes, ac per vrinam redderetur, misceatur maior quantitas aquarum refrigerantium, vt de Villa, Calderiæ, B. Virginis, de Lastra, & similes. Si vero contrà per intestina, ac secessum, & quod magis calefaciat aliquas partes refrigeratas, permisceatur maior quantitas aquarum salsarum, & calidarum, Aquarij, Apponi, Porrettæ, Tetutij, nostræ de Lixiniano, & similes, vt antequam ingrediatur venas, arripiat iter ad intestina, facilius transeat, & excernatur, sicq; fient gradus quodammodo aquarum Thermalium medicatarum in primo, vel secundo, vel tertio gradu, vt introducatur noua aliqua facultas earum, & temperies in membris mendosa, violataque corrigatur, ex vsu illius aquæ ratione artis mixtæ, & contemperatæ ad arbitrium Medici sapientis & experti. Atque hoc est, quod nobis insinuauit Hip. lib. de aquis, aere ac loc. nu. 21. dicens, fieri non potest, vt alia aqua similis sit alteri, sed aliæ dulces sunt, aliæ salsæ, & aluminosæ, aliæ de calidis fluunt; vbi vero hæ simul inter se miscentur, dissident, & aqua fortissima in virtute semper superat aliam, ita vt non semper eadem præualeat, sed aliam alia superet. Quare ad omnes occasiones (vt dicebatur) possunt diuersa genera aquarum medicatarum misceri, accommodari, & contemperari, pro vsu bono, & arbitrio nostræ cupiditatis: quia ex diuersarum aquarum admixtione fiet vna species, & vna aqua medicamentosa, quæ per se differat odoribus, saporibus, & alijs qualitatibus, ac facultatibus facile non miscibilibus, & semper ea, quæ in ipsa admixtione (vt dixi) superior reperitur, præualebit in virtute alteri, atque illa qualitate sua, ac virtute, clarius ab ægrotante cognoscitur, ac percipitur, ista vero vel non cognoscitur, vel obscurius. Modo, cum Medicus sit imitator naturæ, rectè operantis, omnibus notum esse debet, naturam non sine diuino auxilio, ac ratione indemonstrabili, diuersas aquas, & contrarias virtute, ac qualitate ex vna scaturigine in vnum fontem solum aliquando nobis demandasse ad vsum medicinalem, vt in territorio Viterbij; adest enim lacuna lactei teporis, duarum tamen venarum coniunctione, tum calidarum, tum frigidarum. Plinius quoque lib. 31. cap. 2. ostendit multa esse balnea medicata, quæ diuersitate aquarum simul mixtarum contemperantur: quod clarissimè ac notoriè in Auinionis Balneo, & sub Senis, vbi in medio lacunæ, minus duobus palmis, ex Baccio, duo fontes vna erumpunt, alter quidem caliditate, alter vero frigiditate intolerabili. Patauij balneum B. Virg. non distat ab aqua non Therm. per spatium quatuor brachiorum. Atque sic Medicus imitator naturæ ex di-

uersis aquis inter se mixtis, componet diuersas aquas in temperamento calidiori, vel temperatè ad vsum medicinæ. Quod manifestè, & notoriè conspicitur, ac cognoscitur in conuiuijs, & apud tabernarios, & hospites, quando data opera plurima vina, vel saltem duo simul miscent dulce & austerum ad arbitrium, vel gustum bibentium, potatioque bona ac delectabilis à multis iudicatur ista. Sic aquæ Thermales possunt misceri, & erunt sæpe vtiliores pro curandis morbis. Si Medicus considerabit, quæ ex arte erunt consideranda, nempè in quo gradu caliditatis, vel frigiditatis vnaquæque aqua existat, secundo quãtitas singulæ aquæ simul mixtæ; ex quibus diuersi, ac plures numeri temperaturarum, ac contrarij, ratione finis in ipsa compositione, & mixtione aquarũ resultabunt, pro salute ægrotantium. Modo semper memoria teneatur aquas refrigerantes per vesicam vt plurimum reddi, calefacientes per intestina, temperatas, & per vrinam, ac per fæces solere transire semper, vno & eodem die naturali. Obseruandum etiam est, post vltimum diem potus aquæ Thermalis, si in quantitate sumitur, bonum esse sumere vncias tres vel quatuor mannæ electæ cum iure, vt si remansisset aliqua aqua in corpore à tali potione leniente extrà ducatur.

De ratione administrandi, cum plures vsus balneorum medicatorum requirantur in vno particulari. *Cap. XVII.*

DETERMINAVIMVS an vnaquæque aqua Therm. per se sit bibenda, an cum alia miscenda; agamus modo breuibus si morbus requireret diuersos vsus aquarum medicatarũ, v. g. potum, insessionem, stillicidium, ac similia, à quo vsu erit incipiendum. In hoc diuersæ quoque sunt opiniones scribentium, sed securior, & magis vsitatus modus est apud probatos Medicos recentiores, ne natura ad motus contrarios retrahatur, & vnus motus alium impediat, vt prius patiens vtatur solo potu per plures dies continuos, & finita quantitate aquæ, quę iudicatur sufficiens, intret balneum solum, maxime si debeat esse in vsu per vniuersum corpus, quantum opus erit, & continuis diebus, secundum artem; post vtatur stillicidio ex Trincauella consi.43. & nu.52. Secùs autem dicendum, si vel pedi, vel brachio, aut particulari parti solum sit administrandum, quia tunc in vesperis, vel melius transactis 7. vel 8. horis à prandio, posset patiens vti balneo, vel luto, aut stillicidio, vt sæpius vidi Patauij ab illis Medicis obseruari; à potu enim aquarum medicatarum viscerum intemperies mala corrigitur, & humores generati, ac cumulati euacuantur, deinde balneo, luto, vel stillicidio pars affecta corroboratur, vel resoluendo materiam, vel emolliendo eã:

Pariter

Pariter etiam, si volumus vti balneo, luto, vel stillicidio, (loquor de par ticulari morbo, & loco affecto) ego inciperem à balneo, tanquam dispo- nente, deinde gutta tanquam perficiente partem affectam; post balneũ & guttam administretur lutum pro corroboratione: potest etiam esse in vsu balneum tantum, vel stillicidium in mane, & in meridie postea lu- tum. Et si omnia tendent quamprimum ad sanitatem ægrotantis; con siderando semper quod nunquam ventriculo pleno quilibet vsus aquæ medicatæ administretur, sed cõpleta ferè digestione ciborum, & semper in omnibus sit consilium, vt ei affectioni, quæ superat aliam Medicus sit intentus, non tamen alias planè contemnendo cum Gal. 3. de sanit. tuenda. 9. & in eorum contrarietate apparet difficultas curationis ex Gal. 10. meth. 10. quæ magis, quæ minus, quæ primo, quæ secun- do, aut tertio loco sit curanda.

De balnei, seu lauacri vsu aquarum medicatarum. *Cap. XVIII.*

BALNEVM, & infusionem corporis in aquis Thermalibus, & medicatis continuè fuisse in vsu apud antiquos docuit Gal. 3. per genera. 2. 1. de tuenda sanit. 2. lib. de trem. ac palpit. & ali bi. Herodotus multa dicit, referente Oribasio 10. collect. cap. 5. Quare cum apud Medicos huiusce temporis sit maxime in vsu, tam in balneis publicis, quam priuatis, domi, in folio, in tinaculo, & alio vase ligneo, & longo, videndum quas vtilitates præstet corpori humano ista requies in balneo aquarum Thermalium, & medicatarum. Omisso vsu delitia- rum, dico, quod vtilitatis gratia easdem ferè, immo quasi plures præstat vsus aquarum medicatarum, quam faciat potus ipse; & hæc vel illa aqua Therm. euacuat, calefacit, refrigerat, siccat, & emollit res duras, ac tumo res circa neruos, & alias partes, remouet rigorem à partibus illis neruo- sis, quæ duriores, & veluti rigidæ factæ sunt & restrictæ, quandoque ratione frigidæ materiæ, crassæ, viscidæ, & compactæ, atque condensa- tæ; cuius rei testimonium præbent Aetius, Oribas. Paul. ac alij Docto res moderni experientia, & vsu confirmant, bituminosas, salsas, ac nitro- sas, tam pro infusione, & balneo mẽbri particularis, quã totius corporis, emollire tumores, & partes duras, ac auferre rigores. Omnes enim a- quæ, dummodo non habeant aliquam malam qualitatem mixtam, iu- uant in balneo aliquo modo. Dixi omnes, nam etiam frigidæ actu, me- dicatæ tamen, vt de Agnano, sunt in vsu ad fugandam elephantiasim, & ad roborandum vterum in mulieribus, quæ non possunt imprægnari. Euacuant etiam totum corpus digerendo, præcipuè si aqua fuerit sal- sa, nitrosa, sulphurea, & aluminosa. vt dicit Gal. 14. meth. 7. 4. aphor. 2.

primo ad Glauc. 9. primo de tuenda 7. tertio eiusdem quatto. sexto eiusdem nono. & alibi, Paulus lib. 4. cap. 1. non solum pro balneo, sed pro potu vtitur aquis aluminosis, & ferreis ad curandam elephantiam. Quòd pariter calefaciant, docuit Gal. 6. de tuenda. 9. de sulphureis, & bituminosis: & quotidiana experientia comprobatur, exemplo doloris colici, & frigiditatis ventriculi ex Alex. lib. 10. Auic. inter Arabes lib. 3. cap. de dol. colico, ipsis etiam vtitur, & dicit conferre vehementer dolori frigido, & per consequens flatuoso: & quòd refrigeret balneũ tota schola Medicorum pro firmo tenet, vt baln. Caldetij, B. Virg. baln. Villæ, Agnani, & similia. Exsiccant quoque omnes aquæ primo de tuenda 7. cum in se contineant confusum aut mixtum aliquod metallum. Sunt etiam quæ humectant, vt quædam aquæ dulces potabiles, & ad cibos parandos aptæ, quæ licet calidæ sint ipso actu, per se tamen exsiccata corpora, & à febre consumpta, potentia refrigerant, vt balneum de aquis in agro Pisano, baln. S. Ioan. in agro Lucensi, & baln. montis Orthoni Patau. ac simil. nec hoc negat Gal. 6. de tuenda. 9. quando dicit satius est has aquas experientia discernere, quia etiam raræ inuentu sunt. Ad has vtilitates consequuntur multæ aliæ ad vsum Medicum, vt roborare partes, dilatare porros ac meatus cutis, humores fluidos reddere, facultates concoctrices adiuuare, & etiam expultrices, vt notum est. Et proinde in Etruria, ac Patauij multi quotãnis Veris fine, & vsque ad principiũ Autumni solatij gratia ad excrementa corporis euacuanda per insensibilem transpirationem illis vtuntur, quod docuit Gal. 4. de tuenda valet. 4.

Quibus corporis partibus iuuent balnea aquarum medicatarum. Cap. XIX.

POSTQVAM diximus iuuamenta, quæ afferunt balnea aquarum Ther. medic. corpori humano & rationali, ac aliquando brutis, vt multi Doctores scribunt, si cum ratione administrantur: videndum modo quibusnam corporis partibus prosint. Nulli dubium esse debet, quòd & toto corpori, & partibus illis, quæ mediatè, vel immediatè fouentur ab ipsa aqua medicata, dummodo rectè & ex vsu artis administrentur, summopere prodesse, experientiaque cognitum est faucibus, thoraci, ventriculo, hepati, lieni, renibus, intestinis, vesicæ, vtero, articulis, & omnibus neruosis partibus prodesse. Nec mirandum, si brutis dixi quoque conferre, supra enim adnotauimus casu ab animalibus brutis quasdam aquas medicatas nobis demonstratas fuisse, de quibus omnibus gratiæ semper sunt habendæ Deo O. M. & cum ipsis animalibus experientia multum profecerint, hominibus quoque prodesse quotidiano vsu videtur. Patauij balnea Apponitana vidi admini-

ſtrari equo cuiuſdam nobilis Germani, propter neruos rigidos, & tunc audiui multis alijs brutis conferre, & aliàs contuliſſe, ſicut etiam relatum mihi eſt à quodam Balneatore, balnea Lixiniani duobus mulis Illuſtriſſimi Ducis Octauij ſummopere profuiſſe.

De tempore anni, ac loco vtendi balneo, ſeu infuſione aquarum medicatarum. Cap. XX.

NON quolibet anni tempore, nec quolibet die vtendum eſt balneo. Tempora frigidiſſima, horaſq; frigidiſſimas non eſſe aptas ad infuſionem, ſeu balneum, pro ſanandis corporibus humanis, conſtat apud omnes Doctores, ſed tempora, ac horas temperatas eſſe laudabiliores; & à fine Veris ad principium Autumni, & in mane, vel veſperis communiter, ſi opus ſit in ſitmo pro ſalute balneum potentia frigidum, eligatur tempus calidiſſimum, quod docuit Orib. 10. collect. 6. de mente Gal. Eſto igitur anni tempus Aeſtatis initium, aut ante Hyemem in ſpatio interpoſito, conſuetudo oſtendit, regulaque poteſt eſſe, quod tanta caliditas aeris præceſſerit, quanta ſufficere poſſit ad ſiccandam præteritorum temporum humiditatem contentam, & in ſuperficie terræ, ac in ipſius profundis partibus, vbi oriuntur, & tranſeunt aquæ, vt dictum fuit. Hinc eſt quod modo citius, & in menſe Maij, ratione qualitatis anni, & aeris, modo tardius aquæ fęliciter adminiſtrantur. Et nunc mihi ſubuenit, quod ſæpe veteres aquæ vnius anni, ac plurium, in vitreo vaſe, diligenter & benè clauſo orificio, ſeruatæ, ſunt ſecuriores nouis, pro ſalute ægrotantium, ac facilius tranſeunt, quam nouę illius anni, niſi multa ſiccitas præceſſerit ac perſeuerauerit, & hoc quando uis bibere aquã Therm. nouam. Obſeruatum eſt enim aquas Therm. non benè purgatas, in corpore noſtro putreſcere, & ſæpe febres cauſare. Sed multorum opinio eſt, quòd aquis ad refrigerandum non debemus vti in temporibus temperatis, ſed potius calidis, vt citius actuentur. Adde, quòd corpora noſtra maximè reddũtur fluida, & vaſa ſunt aperta magis diebus canicularibus. Hinc motus ego ſæpe conſului ad præſeruandum à febre habitudinali, diebus canicularibus balnea aquæ dulcis facienda eſſe. Ad calefaciendum vero tempora temperata magis eligenda, vt fęliciter aqua Therm. operari poſſit, & ſic ex qualitate aeris tempus opportunum deſumetur. Eſto præterea dies, in quo incipietur, quãmaximè tranquillus, & illius diei pars calidiſſima, nempè in meridie, & alia ſeruentur ſecundum artem. Locus ſit ad mineram, ſi eſt poſſibile, aquarum actu calidarum, ſecus frigidarum, vt dictum fuit, nec amittant propriam qualitatem ſulph. & paucum iuuamentum ſentiatur à vaporibus ſulphureis remotis à proprio fonte; tectus debet eſſe locus omnino, ne

à cadente

à cadente pluuia, vel à vento, vel ab alia quauis re extrinſecùs occurrente, ac nocente, aquæ facultas immutetur. Immo vt æger tutò valeat vti aquis ipſis, cum pluit, aqua ſit prius ſeruata in uaſis, & non venti impetuosè ſpirent, quod notauit Fallop. cap. 12. videns balnea Etruriæ eſſe tecta, & aliqua etiã Patauij, vt montis Ortoni, S. Helenæ, & aliquas particulares Apponi; coopertum quoque eſt noſtrũ de Lixignano: & optimè ad ſanitatem conferunt lauationes, tam aquarum calidarum, quam frigidarum naturalium, ſic erumpentium, ſi ex arte adminiſtrentur. Rarius tamen calida potentia ſunt adminiſtranda, quã frigida ex Agathino, vt ſcribit Oribaſ. Vnum obſeruandum, quòd vrgente morbo balnea, ſtillicidia, ac luta poſſunt adminiſtrari quocunque tempore, in membro particulari, vel pluribus, dummodo membra illa poſtea ita muniantur, ac ſeruentur, vt à frigore non lædantur. Fallit tamen in capite, cum in tempore frigido plurimam perſentiet læſionem patiens; quare pro capite dimittatur in Hyeme, pro alijs vero partibus vtendum, facta prius ſemper diligenti purgatione. Et ſic quoque ſæpius conſului Hyeme multos vtentes balneo putei de Lixiniano, ad emolliendas duritiés maximo iuuamento, procurando tamen, vt aqua quotidie mutaretur, propter facultatem remiſſam, ex euaporatione vaporum ſulphureorum à calefact. facta, & balneo Mariæ, aqua ſemper ſeruetur tempore ſicco in vaſis.

Quid ſit faciendum ante vſum balnei Thermalis, & quomodo intrandum. Cap. XXI.

SI cum ratione, & ex præceptis Medicinæ volumus vti balneo vniuerſali totius corporis, vel etiam particularis alicuius partis tantum, vt omnis tollatur occaſio nocumenti vniuerſalis, ac particularis, humorum peccantium præparatio, & poſt eorum euacuatio facienda eſt, prout opus erit, & diligentius forſan aliquando, & pluribus diebus, quam ſolet fieri ante potum aquarum medicatarum. Siquidem aqua ſumpta in potu, ſi ſit ſalſa, facit aliquando offitium medicamẽti purgantis, atque euacuantis, balneum aquæ medicatæ cum Gal. 1. ad Glauc. 9. digerendo euacuat quidem totum corpus, rarefaciendo cutim, vt humores tenuiores, qui ſunt ſub cute, euaporentur melius, & per ſudorem euacuentur, ſed craſſiores eliquat & fundit per totum corpus, aut eos indurat. Danda ergo opera, vt qui cruditate laborat, vel mordentibus excrementis abundat, diligenter expurgetur, ne fluxione partes affectæ detineantur. Hoc docuit Gal. 5. de tuenda vlt. 3. de ratione victus in ac. 62. Balneum non eſt tutum, niſi innanitũ ſit corpus, idem 10. meth. lib. de palpit. rig. Balnea à cibo intempeſtiuè ſumpta ſunt cauſa cuiuſcunque morbi, quod docuerat Hipp. 3. in acut. 55. Lauari quoque ille non debet,

debet, qui nuper vel ſcripſit, vel bibit. ibi Gal. dicit, non in ægris tantum, verum quoque & in ſanis nullus confeſtim à cibi vel potus ſumptione lauari debet; nam qui biberunt, his caput repletur, qui vero cibum ſumpſerunt, his non caput modo, verum etiam corpus totum alimoniam ad ſe, prius quam concocta fuerit, trahent, vnde naſci poſſunt multa detrimenta, ac damna. Et Herodotus dicebat, quod ſi vtamur balneis, nondum confecta prima coctione, quod plurimum nocere ſolent. Quare oportet ægri naturam habere experientia compertam, aut poſtremum terminum obſeruare. Non enim cibus vnum habet in omnibus tempus coctionis præfinitum, atque circumſcriptum. Ingreſſus ergo mora, & egreſſus obſeruari debet diligenter patientis. At valens, vt multi deſiderant, balneum bis in die ingredi, comedat parum in prandio, & cibi ſint facilis concoctionis, & boni nutrimenti, vt veſperi digeſto, ac concocto cibo iam in mane ſumpto, quod erit ad ſummum horarum octo, valeat tutò vti balneo, liberaliusque poſtea cęnare poteſt, propter diſtantiam horarum ſeu temporis à cęna ad horam balnei matutini. Quæ regula obſeruanda venit à ſumentibus decoctum regulariter ligni guaiaci, ſalſæ, chinæ, ſaſſafras, & ſimil. vt ſemper parum comedant in mane, veſperi vero liberalius cęnent, ſicut è contra à bibentibus ſolam aquam medicatam prandium liberalius, & plenius debet eſſe cęna, vt in mane ventriculo vacuo tutius bibant aquam, & facilius eam reddant, quod ſumitur à Gal. 1. ad Glauc. 9. quando dicit, quod in tempore id faciant, nempe lauari bis in die, vt in Aeſtate, mane hora 10. ingrediatur balneum, in eo maneat per mediam partem horæ, in lecto deinde quieſcat per horam, poſtea ſurgat, ambulet parũ, ac prandeat. Hora 20. vel paulo plus, cum ſit digeſtus cibus, tranſactis iam 8. horis, iterum balneum ingrediatur, maneat, cubet, ſurgat, ambulet parum, & circa 24. horam cęnet, deinde dormiat, manens in mane tantum in lectulo, quouſque ſentiat ventriculum perfectè concoxiſſe. Modum intrandi balneũ ex ratione & vſu bono docet Oribaſ. de mente Herodoti loco citato, qui modus diligenter eſt ſeruandus, nam ſæpe medicamenta, iſta magna, ac diuina, non rectè, vſu bono, & intempeſtiuè adminiſtrata, inducunt maxima nocumenta, atque ſymptomata non ſpernenda: quare patiens, à nulla re alteratus, nec eo die, nec præcedenti nocte, ex Oribaſio, procuret in mane ventris beneficium habere, deinde moderatis ambulationibus ſe moueat, donec corpus ſit calefactum, & tunc certè ventriculus erit vacuus à cibo. Inutile enim, dicit Herodotus, materia noua plenos aquas medicatas ſumere, quæ tantum commouere, & agitare corpus poſſunt. Sic etiam nos dicimus de balneo, & lauatione totius corporis: vnde Agathinus, eodem Oribaſio referente, cap. 7. dicebat, quod ad lauationis vſum quiſpiã accedere non debet, nec priuſquam ſit hora prandij cõſueta, vel ſanè multo tardius. Alia tempora ſunt reijcienda, propter di-

uerſas

uersas causas, ad mentem Gal. 3. acut. 55. His obseruatis incipiat ęger descendere in balneũ nudus corpore, capite tamen cooperto scufia, vel pileo leui, propter vapores, qui continuè à balneo eleuantur, ne dolorẽ capitis ipsi vapores moueant, & excitent: moderatè sit calidum, & suauiter, modo plus, modo minus, & ne offendat patientem, habita semper ratione temporis anni, quantitatis morbi, habitus corporis, temperamẽti, virium, atque ætatis.

Nec aqua balnei debet esse agitata, ac mota, sed stet in solio immota: Immo æger ipse descendere debet sine motu magno, & agitatione, & cum sit in balneo, quiescere debet, ac sedere, nec manu agitare aquã calidam, ne meatus cutis constipentur, densentur, atque constringantur, nouo semper calidarum aquarum accessu ad ipsum corpus, sic virtus aquæ melius introducetur in corpus; vnde Auicen. lib. 1. f. 2. dicit, Qui in Thermis voluerit balneari, oportet, vt balneetur in eis quietè, suauiter, & ordinatè, non subitò, vt melius assuescat tolerare aquam, quamuis sit fortiter calida, ne virtus resoluatur, ac debilitetur, & non loquatur, ne incalescat; quandoque tamen potest extollere brachium in aerẽ frigidum, solatij gratia, etsi persentiret æstum, teneat in ore aquam frigidam. Dixi quòd meatus cutis constringuntur, atque densantur nouo calidarum aquarum accessu ad ipsum corpus, hoc docuit Gal. 3. de tuenda 8. Cutis meatus tum aqua calida, tum frigida cogitur, atque clauditur. De frigida notum, ac clarum est, at calida moderatè meatus potius cutis aperit, laxat, dilatat, vtpote quæ iucundissima est naturæ, & ad dulcedinem, quam præstat ei, quoquo versus prouocat extendendam; cũ intenta sit ad iucũdiorum occursum, vt rei calidioris tẽperatæ, ex Gal. 7. meth. 6. apud principium, & 11. meth. 20. vt sit concludendum de aqua calida valde esse intelligendum, quippe quæ offendit, mordicat cutim, ad cuius mordicationem sequitur horror, & rigor quidam, ad rigorem contractio, constipatio, & angustatio meatus cutis, quod contingeret, ac fieret, si statim æger ingrederetur balneum, ac se præcipitaret. Hoc docuit Antillus referente Oribas. 10. collect. 3. Aquis spontè nascentibus vti debemus firmis, & quietis, nam vapor ex Antillo ab aquis ipsis commotis, cum grauis sit, feriens caput, ipsi molestus erit: quamobrem in aqua descendendum est, & ingrediendum sensim, vt virtus aquæ corpori laxato accedens imprimatur. Illi vero, qui impetuosè sese in aquas immergunt, si habent corpus densatum, qualitatem ac virtutem aquæ non recipiunt; Ita fit vt in aqua Therm. calida neque natare, neque subito immergi commodum sit, ęstuat enim & incalescit patiens, nouo semper accedente calore aquarum ad ipsum corpus, cuius cutis non potest assuefieri ex Macrobio in quæsitis naturalibus, iuxta illud Aristotelis proble. 36. quintæ particulæ. Propter quid stantes in sole magis calefiunt, quã mouentes se, semper enim corpus nostrum emittit proprium

prium quendam vaporem à se, qui calefacit propinquum aerem; at cum mouetur ille aer, ventus excitatur, qui refrig rare potest corpus. Secundo ex aere nouo approximante nostris corporibus percipitur, & sentitur frigiditas. Notat insuper Herodotus, si balnea possint soli affectæ parti applicari, non esse incommodum diutius, & sæpe per diem aquis vti ad illam solam partem. Hinc cum sæpe accidat, vt balneum sit vtile vni parti corporis, alteri vero noceat, solent Medici experti, & optimi præmunire alias partes medicamento aliquo, v.g. si æger vellet vti balneo ad calefaciendum ventriculum, & haberet renes, & hepar calidum, inungi iubent partes illas, dum patiens vult descendere in balneum, quotidie vng. sandal. rosato Mesues, infrigidante Galeni, cerato rosac. Alex. vel succo cichorei, mixto cum aceto rosato, aut decocto, endiuiæ, cichorei plantag. mixto cum aceto ros. ad quartam partem. At si hepar & renes indigerent propter eorum calorem balneo potentia refrig. vt ad meliorem temperiem reducerentur, pro defensione ventriculi, inungi faciũt cum oleo de spica, nucis musch. gariophy. pip. cum mastice, & cera ad formam linimenti; vel cum maiori cera ad formam cerati, sunt & alia magistralia. Tempus intrandi balneum magis tutum est orto sole, vespérique tribus horis ad minus ante occasum solis, & ante cęnam.

A principio semper, semel tantum in die, & parum maneat, vt per quartam partem horæ, medietatem horæ, atque assuescet in dies quadã temporis mensura; propterea dicebat Herodotus, Si quis vult vti balneo per tres hebdomadas incipiet à dimidia hora; deinde paulatim singulo die, maneat longiori spatio, ac pro tolerantia infirmi, quousque perueniat ad duas horas; licet in balneo Pisano de aquis diutius commorentur: Ideo hoc interuallo ad plus potest perseuerare per aliam hebdomadam, & vltima hebdomada quotidie auferre tantum temporis, vt in primo spatio morę in balneo quiescat, quæ erit medietas horæ; quare mora sit medietas horæ, vsque ad duas gradatim contra empiricos. Obseruandum secundum Modernos, propter experientiam & cum ratione, non esse aliquem determinatum numerum dierum in vsu balnei, sed solum considerandum, modò conueniat, si æger cognoscit, & percipit iuuamentum, & tanto tempore debet eo vti, quousque cognoscat, & sentiat iuuamentum ex ipso balneo: communiter tamen nostris temporibus est à quindecim diebus ad 40. dies, quod intelligitur si semel in die, ac de aquis potentia calidis, secundum magis & minus, secus autem de frigidis potentia dicendum, minori enim tempore erit in vsu balneum tale, & solum tempore calidissimo: & tutius erit semel in die pro toto corpore; quamuis sint, qui tolerant bis in die, interponentes spatium dictum 7. vel 8. horarum, ac in prandio parum cibentur; seruentur præcepta Hip. 3. acut. de balneis scilicet, cum egrediatur è balneo, abstergatur optimè linteo molli, ac siccetur, inungantur hepar, renes aliquo linimento refri

gerante dicto, benè coopertus maneat in lecto per horam, sed non dormiat, neque procuret sudare, nisi quantum natura sponte educit, postea bene indutus comedat suum cibum, post caueat à somno meridiano, stando cum amicis, & sic prosequatur alijs diebus. At non prætereundum, quòd balneum pro aliqua particulari parte, vt manu, brachio, pede, & similibus, non solum bis in die, potest administrari, sed hyberno etiam tempore potest parari, & conuenit, dummodo maneat in loco calido, ac aqua Therm. non sit à pluuijs alterata; ideo semper debet seruari in vasis diligenter obturatis, si sit frigida actu, & debet colligi temporibus debitis: Secus aũt de aquis Therm. actu calidis dicendum est, nam citius euanescunt vapores sulphurei, nisi & ipsæ suo tempore sint seruatæ ac collectæ, & ideò si expectatur iuuamentum à vaporibus illis sulphur. æger vadat ad locum mineræ non procul à fonte: si verò aqua non facile amittat suam virtutem, vt aqua Villensis, Tetutij, Aquarij, & nostra de Lixiniano, ac sim. cum frigidæ erũpant, poterit esse in vsu, etiam procul à minera sua. Alterum sciendum, quod si habetur copia aquæ, quotidie immutetur balneum, sin minus alternis saltem diebus renouetur; amittit enim virtutem in calefactione, si sit sulphurea, aut putrescit temporibus calidioribus. Sed vnum præterire nolo, quod scribit Nicol. Flor. sec. 4. doctr. 4. cap. 6. quem sequitur Mercur. lib. 1. de morbis venenosis, cap. 17. experientia compertum esse, aliquos in balneis fuisse veneno extinctos; ideo qui timent venena, cauere ab his debent, tum naturalibus, tum artificialibus, & habere fideles seruos, cum maximum sit venenum habere domesticos infideles, quibus, velis, nolis, fidere oportet.

De stillicidio seu gutta aquarum medicatarum. *Cap. XXII.*

STILLICIDII vsus, siue guttæ, vel embrochationis, cum Græcis, & Arabibus, fuit introductus, quia reperiuntur aliquę partes corporis nostri ita induratæ, ob materiam crassam, viscidam, & duram, vt nullo modo durities illa per balneum, nec per fomentationem possit emolliri, corrigi, nec etiam stupha superari. Hac de causa Moderni tam frequenter approbant stillicidium, ad discutiendã materiam, & roborandam imbecillitatem partis affectæ, atque ad partium intemperies tollendas; nam aquæ facultas, & pars ipsius substantiæ tenuis, ab alto motu, & agitatione adiuta præcipitans, se in partem læsam penetrat magis: Siquidem instillatio guttæ, siue motus iste, & casus aquæ ab altiori loco per fistulam, fontis ritu, plus minus velatã, ac magnam, pro morbi necessitate, in causa est, vt aquæ facultas magis impel-

impellatur intrò, & vis ex ictu ab alto aquæ cadentis descendat, permeet, ac penetret in cauitates, & illas quidem abditas ipsius membri affecti cutaneas, seu osseas atque cartilaginosas, vt capitis, stomachi, ischiadis, articulorum, & omnium locorum neruosorum, ex 13. meth. vltimo. sic scriptum est quosdam subijcere caput guttæ aquæ sulphureæ, iuxta illud Horatij, *Qui caput & stomachum supponere fontibus audent*. Potest addi alia causa, cum enim ex balneo multæ partes alterentur, ratione diuersi temperamenti, fit vt quemadmodum corroboramus aliquas partes vnguento, vel oleis, ita tutò aqua medicata instillatur partibus tantummodo infirmis, immo vni tantum, & cuilibet parti etiam minimæ corporis nostri, absque eo, quòd reliquum alteretur. Hinc fit quod affectionibus antiquis existentibus in profundis partibus sit apta, & laudabilis gutta, vt capiti, iuncturis, ac neruosis partibus, quando calefaciendum, refrigerandum, siccandum, discutiendum; laxandum, ac emolliendum sit in animo Medici, morbo ita requirente, & consentientibus partium temperamentis, habita consideratione subiecti, ætatis, & constitutionis anni. Gal. 13. meth. cap. 22. docet modum vtendi gutta supra caput, volens, quòd capilli prius abradantur, deinde capite aliquantisper perfricato, medicamentum humidum seu aqua Thermalis ex alto loco effundatur super suturam coronalem (quando affectus toti capiti sit communis) ibi. n. cranium adeo tenue est ex Gal. 2. secundum loc. 1. ac rarum, vt per ipsam coronariam suturam, non modo medicata qualitas, sed pars quoque substantiæ tenuis intrò penetret, ex qua penetratione temperamentum partis melius redditur, ac corroboratur. Ergo modus administrandi guttam in capite est, vt abraso loco circa suturam coronalem per quatuor digitos, iaceat patiens in scamno balneario longo, habens circum circa caput rotullam, siue coronam vulgò allam pilei, confectam ex paleis, siue lana, iaceatque supinus in dorsum, non pronus in ventrem, si sumere debet supra suturam coronalem, & omnino habeat illam coronam, ne aqua promptè diffluat, & reliquo corpori sit molesta.

In occipite quoque administratur, quando affectus capitis ad partes neruosas communicatur; & tunc vice versa iacendum, aut sedendum, spongijs circa collum adhibitis ex arte. Neque negandum, quin ad alias partes capitis possit accommodari, si seruentur quæ sunt seruanda; quare tunc patiens iacere debet ad suam commoditatem, si vult alias partes guttæ subijcere, dummodo colligatur aqua aliquo instrumento, ne balneetur, vel per thalamum currat; & sic partes, quæ recipiunt iuuamentum à stillicidio, sunt omnes illæ, super quas aqua tutò & commodè ab alto ad minus brachium, cadere potest, vt ischias, brachia, manus, genu, & super omnia gummata, modo non sint confirmata. Recentiores aliqui voluerunt hepar stillicidio subiacere, verum cum molle sit facilè per Fallopium, & sequaces, insessione alteratur, & si aliquis cuperet ta-

le remedium, instrumento paretur, vt aqua tantum fluat super partem affectam. Nostris temporibus ventriculus subijcitur sæpe guttæ, non solum aquæ Therm. medicatæ, sed etiam artificialis, & olei medicati, cum Gal. 11. meth. 16. Calefiat vero oleum in duplici vase, ne vitietur eius facultas ex 8. meth. 5. vulgò balneo Mariæ dicitur, atque oleum diligenter colligitur instrumento quodam in formam vasis, à Mercuriali depicto, & descripto lib. 3. consil. sicuti alio vulgari tegulo ex lamina quadã alba parato, & Patauij vocato il Coppo, quod ventriculo accommodatur, vt aqua ab alto cadens supra ventriculum, inde fluat per tale instrumentum absque patientis incommoditate. Valet quoque gutta ex aqua Therm. potentia calida affectibus omnibus frigidis cerebri, vt hemicraneæ, paralysi, torturæ oris, linguæ resolutioni, auditus hebetudini, tinnitui aurium; & gutta aquæ frigidæ potentia affectibus calidis, tam capitis, quam aliarum partium summopere iuuat. Sit tamen in eo gradu calida quod sufferri possit, vt virtus magis operetur, & maiorem reddat vtilitatem ægrotanti, atque remedijs refrigetantibus, vel calefacientibus supradictis occurratur alijs partibus, si opus erit.

Quæ sint consideranda & obseruanda ad vsum guttæ. Cap. XXIII.

MEDICVS, antequam persuadeat ægroto vti stillicidiõ, debet considerare diligenter morbum, habitum, & partes omnes corporis, sed præsertim temperamentum capitis. Rarò enim reliquæ partes impediunt; quominus vtamur stillicidio, v. g. Si manus, aut pes esset affectus, non impedit guttam faciendam in capite; sed si caput esset calidum & siccum, vel calidum; & humidum, non debet subijci stillicidio aquarũ calidarũ, præsertim si fuerint sulphureæ, vel bituminosæ, vt Gal. cum alijs Græcis iubent. Benè potest subijci caput stillicidio aquarum potentia frigidarum, vt Villæ, Virginis, & sim. vt ego feci aliàs Parmæ anno 1592. secutus Fallopium cap. 26. in puero nobilissimo 12. annorum, qui catarro salso detinebatur, pro quo procuraui exportari summam aquæ lib. tercentum ex proprio fonte pro vsu guttæ supra caput ipsius pueri, & conualuit Deo fauente. Sed ante talem vsum & administrationem guttæ, non solum purgatio vniuersalis totius corporis facienda est, sed etiam particularis, præcipue si capiti adhibendum sit stillicidium, alioquin excrementa traherentur ad partem, in qua fit stillicidium, quod malum esset. Tempus opportunum stillicidio communiter est Ver, & Autumnus. At non principium Veris, sed potius finis, item non finis Autumni, sed potius principium. Egò autem teneo experientia motus, quod omni tempore gutta possit administrari omnibus

bus partibus, excepto capite; dummodo locus non sit vento, & soli, nec imbribus expositus, si morbus vrgeat, maneatque patiens in camera bene clausa, & aqua habeat requisita supradicta. In mane ergo per vnam, aut duas horas ante cibum sit in vsu gutta aquæ calidæ, pro tolerantia patientis, & pro conditionibus morbi; post guttam inungat partem affectam aliquo oleo eiusdem facultatis aquæ medicatæ, & si esset caput pulueres spargantur, vel apponatur ceratum capitale, postea optimè tegat, & induat partem stillicidatam, ne à vento, vel ab aere frigido offendatur, etsi esset caput, non abluat ipsum per multos dies, portet scufiam, & à Venere se abstineat. Cadat aqua modo altius, modo vicinius pro ratione subiecti, ac penetrationis, à brachio vno ad brachia duo; modo à principio moderatè ab alto cadat, deinde sensim augeatur; in pueris semper minus, quam in adultis. A principio non sit multum calida, sensimque alternis diebus augeatur, & quousque sentiat caliditatem ad partem subiectam penetrare, non tamen vt offendat cutim, sic etiam primis diebus minori spatio vtatur: numerus sit modo plus, modo minus ad commodum, & vtilitatem patientis, memorando quòd gutta non bis, sed sæpe cadendo cauat lapidem, communiter ad triginta guttas, ad quadraginta, & à dimidio horæ vsque ad horam administratur; poteftque bis in die sumi, modo à prandio per septem vel octo horas maneat; ventriculoque vacuo, nam in pleno magna copia vaporum, calore aquæ in caput traheretur; & nullus dies intermittatur, si est possibile, vt supra quoque dictum fuit, ac pluribus vicibus vno die, particulari parti potest administrari, seruatis seruandis; deinde vngatur pars oleis appropriatis dicendis, inter quę si opus est discussione, maxime laudatur oleum ligni guaiaci mixtum cum pinguedine gallinæ, ex Fallop. cap. de Natha.

De fomentis ex aqua medicata. *Cap.* XXIV.



AD imitationem guttæ ac balneorum solet esse in vsu aliquando fomentũ ex aqua medicata ad diuersas partes corporis, vt vsus & morbus exigit, ac requirit; quod fomentum paratur cum spongijs, filcis fillorum, vel pannis laneis in aqua Thermali, & medicata calida imbutis & maxime expressis, parti læsæ & ægrę ex arte applicatis, ac sæpe repetitis, secundum exigentiã morbi; vbi enim non possumus vti balneo, vel gutta, vtimur fomentationibus circa illam particularem partem. Siquidem omnes partes corporis nostri non possunt semper accommodari guttæ, vel balneo medicato propter aliquam ægritudinem, vel aliud impedimentum; sed aliquæ à fomento maiorẽ vtilitatem percipiunt, si arte administrentur: & quotidie ẽt practicatur cũ decoctis radicum, herbarum, florum, ac similium, vel cum oleis magistralibus, in multis doloribus, vt notum est sapientibus in arte Medica.

De vsu aquæ medicatæ per clysteres. Cap. XXV.

DIVERSI modi vtiles ex aquis Therm. medicatis ad tollendos varios morbos, iam dicti & narrati sunt, non minoris tamen efficaciæ & vtilitatis est vsus clysteriũ, non solum ad discutiendas flatuosas materias, sed ad euacuandas, ad corroborandasque partes ipsas, vt intestina in doloribus colicis, additis aliquando oleis discutientibus; nam omnes partes corporis, quæ & fouentur, & tanguntur ab aquis Therm. iuuamẽtum sentiunt, vt supradictum fuit. Hac ratione Alexan. Trall. lib. 10. dicit, quòd abstergit, & expurgat, si quid viscosum, & pituitosum mixtum est in intestinis, ac prorsus totum morbum persanat. Auic. lib. 3. fen 16. T. 3. cap. 6. vtimur aquis Therm. medicatis in dolore colico, quæ sint calefacientes potentia, & quando causa colicæ est humor crassus, viscosus, lentus, existens in intestinis, sis contentus (inquit) clystere, quantum possibile est, immo dicit, quòd aqua salis armoniaci est mirabilis in hoc absolute, etsi non aliter, saltem bibita, si toleretur eius potatio: quare sal armoniacum, vel nitrum misceatur cum aqua & oleis carminatiuis pro doloribus: & miraberis, inquit Alexander, quomodo excernat viscosum, crassum, humoremque pituitosum intus contentum. de Muria agit Diosc. Plin. lib. 31. cap. 8. Paulus lib. 3. cap. 42. Hos sequitur inter Modernos Vidus Vidius lib. 9. Et forsan à Modernis laudatur, & sunt in vsu clysteres ex aquis medicatis salsis, & aluminosis, maximè in dysenteria, vt Tetutij, balneoli, Lixiniani, ac in ea diuersa simplicia proportionata vtilia concoqui possunt. Vnum cõsiderandũ si in dysenteria intentio tantum sit abluere, detergereque intestina, non consolidare, tunc copia aquæ Thermalis pro clysteri debet esse magna, ad lib. 1. s. Si vero intentio sit exsiccare, & consolidare vlcus, tunc sufficiunt vncię 10. pro quolibet clysteri, vt mora sua & retentione, cum non stimuletur natura ad expulsionem, magis consolidetur ex siccitate iam introducta, atque vlcus, & dysenteria cessabit, & venter ex earum vsu adstringetur. Quod manifestissime docuit Hip. lib. aliàs citato, de aere, aquis, & locis num. 16. quando dicit, quod mentiuntur homines, propter imperitiam de aquis salsis, putantes eas soluere aluum, maxime enim contrariæ sunt ad alui egestionem ac secessum, cum crudæ sint, & coqui non possint; quare venter magis ab ipsis aquis adstringitur, quam euacuetur. Sæpius enim dixerat, quòd aquæ subsalsæ bibitæ, conferunt habentibus ventres molles, humidos, ac pituitosos, nam resiccando maximè sanitatem assequi poterunt; laudatur etiam clyster ex aqua Thermali, salis, a cnitri participante, potentiaque calefaciente, atque exsiccante, si in vterum alternis diebus inijciatur mulieribus, quæ redduntur steriles propter nimiam corporis humiditatem, & quemcunque superfluum fluorem album;

bum; ac Dei O.M. gratia summopere redduntur habiles ad concipiendum, & gratæ viris suis. Quare communiter non debent esse in vsu tales clysteres, nec ex quacunque aqua Thermali, sed prout requirit semper morbus.

De vsu aquarum Therm. medicatarum pro victu infirmorum. Cap. XXVI.

APVD aliquos Doctores famosos, & expertos in Medicina, vt Trincauellam cons. mihi nu. 32. & 62. solet esse in vsu, tempore Aestatis, in aliquibus casibus, ac morbis, diluere vinum aqua Lucensi de Villa, vel Calderiæ, vel Virginis, ac sim. & potissimum tempore, quo potatur aqua Therm. medicata. Idem voluit Vidus Vidius lib. 10. de morb. partic. cap. 27. de aqua aquarij, vt in ea sit aliqua virtus conducens affectui. Sic Medici Veronenses vtuntur aqua Calderij ad coquendos cibos, & ad diluendum vinum ex Fallop. Nonnulli recentiores loco aquæ dulcis, & communis puteorum, vel fontis, permiscent aquas Therm. medicatas cum vuis paratis tempore vindemiarum pro conficiendo vino, & oblectantur patientes; sic alij coquunt cibaria in aquis Therm. prout exigit morbus, vt Plin. adnotauit lib. 31. cap. 2. Hos & Fallop. cap. 10. & 14. Frascatus lib. 3. Baccius lib. 2. c. 19. redarguunt. Primo quia aqua Thermalis impediret distributionem alimenti. Secundo possent oriri obstructiones, quæ causarent diuersos morbos. Tertio quia pauca facultas remanet in cibis, nisi aqua sit salsa, & si esset salsa, ac retineretur in ventriculo, excitaret sitim. Mihi tamen videtur, quòd vinum potest dilui aqua Thermali medicata, affectui contraria, & carnes pariter coqui, quando intentio Medici est præseruare patientem ab aliquo imminenti morbo, non curare simpliciter tunc morbum factum; licet dicatur quodammodo curatio longa; nam ex Gal. 1. de differentijs feb. 4. omne opus Medici est curatiuum, & sicut multi sunt qui miscent vinum cum aqua chalybeata, vel aurata, de mente Archig. 9. secundum loc. (nisi adsit febris) quando viscera egent roboratione, & confert, vt ad alios quoque morbos cum aqua parata cum citrach, fraxino, euphragia, roremarino, absinthio, & similibus: sic etiam possunt misceri cum aqua Thermali medicata. Dioscor. lib. 5. cap. 38. multos docet modos parandi vina valenter salubria, cum multis & diuersis herbis, ac radicibus, quem imitatus est cap. de sena Mesues, & Alexander lib. 10. & Matthiol. supra Dioscor. & in Epistolis suis multum laudat, ac Arnaldus librum composuit; nam omnia vina artificiosa possident virtutem earum rerum, cum quibus conficiuntur; vnde Cassiodorus lib. 12. variarum, scribens Canonicario Venetiarum Epist. 4. dicit, in Græcia, sub-

tilitate

tilitate diligentiæ, vina sua odoribus condiunt, aut marinis permixtionibus insaporant, sub tanta tamen exquisitione, vt nihil reperiatur simile habere. Ita ergo & à simili possunt parari, & limphari vina cum aquis artificialibus, siue medicatis; vt his temporibus cum Monarde lib. 1. cap. 13. paretur aqua ligno Indo renali, pro diluendo vino, ad præseruationem lapidis renalis, alij aquis cordialibus tēpore pestis, & in catharro aqua lentisci vtuntur. Et talis ac tanta fuit experientia, vt multi optimi Medici consulant his nostris tēporibus vina limphari cum decocto chinæ, sassafras, ligni guaiaci, ligno quercino, sandalis citrinis, ac similib. vt Trincau. lib. 2. consil. 50. consulat cuidam Cardinali vinum limphari aqua salsæ. Ac Iacobus Scutellarius Parmensis, qui obijt Medicus Rodulphi Imperatoris mihi scripsit, ut procurarem limphari vinum decocto rhapontici, cum sandalis citrinis, pro quodam nobili infirmo laborante febre quotidiana, cum fluxu sanguinis hęmorrhoidalis anno 1580. Mercurialis lib. 1. conf. 23. 31. & 97. & Capiuacceus in suis conf. procurant, & consulunt multos parare vina tempore vindemiæ, cum ligno, salsa, sassafras, sandal. ac similibus, & bibi posse per totam Hyemē. Similia enim remedia maiori cum fructu adhibentur cum vino & assidua quadam illa operatione in morbos agunt, ac ob frequentiam, & consuetudinem à natura non respuuntur, & cum maxima vtilitate, & voluptate ab ægrotantibus sumuntur pro potu quotidiano, seruata quadam victus ratione conuenienti. Sic quoque ego tempore vindemiæ hortor multos talia vina medicata, secundum exigentiam sui morbi particularis, sibi parari facere; resultat enim quædam temperies vini, qua delectatur patiens. Hanc opinionem pro parte sumpsi ab Alexandro, quando dicit libro 10. ægrotantes dolore colico à materia viscosa, & in ventriculo ac intestinis infixa, concedendum esse bibere aquam sulphurulentam, bitu minosam, & huiusmodi. Quod tantum de victu dictum sit; putans hęc ipsa omnibus prudentibus sufficere: cum per feruorem, & ebullitionē vini in dolio virtus aquæ Therm. in musto remaneat, & quando esset opus vino aliquo medicato, paretur decoctum cum aliquo simpl. med. & collaturæ addatur vinum secundum exigentiam, ac in dolio reponatur pro potu quotidiano. quare si in prandio ac cęna loco vini potest esse in vsu aqua Therm. medicata, morbo ita requirente ex Alexādro, multò magis potest dilui vinum aqua Therm. medicata, dummodò aqua sit clara, & refrigerata, ne iniucundum reddat vinum: & ego periculum feci de aqua salsa mixta cum vino pro tertia parte, an putresceret, vel acquireret aliquem malum odorem, per mensemque tenui, & nullam alte rationem cognoui, neque gustui erat ingratum vinum. Dicebat Auic. lib. 1. fen 4. doctr. 5. cap. 7. & lib. 2. T. 2. cap. 59. quod vinum remouet malitiam aquæ (simplicis tamen non participantis cuiuspiam medicamētosæ qualitatis) cum Gal. 3. acut. 40. si cum eo bibatur, Forsan & vinū,
quod

quod miſcetur cum aqua Therm. non gratia voluptatis, ſed ad opem ferendam, & veluti quædam manus excitans, & trahens aquam ad diſtributionem, erit maximæ vtilitatis, relinquens impreſſionem ſuæ qualitatis acquiſitæ in ſanguine ipſo, pro nutritione corporis, cum facilè à ventriculo ad ieiunum inteſtinum perueniet, inde ad hepar, ac renes facilis erit diſtributio; & tanta ſit vini repræſentatio, quanta conueniens erit pro affectu patientis. Et ego teneo quòd ſi pararetur etiam vinum tempore vindemiarum cum aqua Therm. medic. & morbo conuenienti, prout communiter ponitur alia aqua communis in muſto, in maiori, vel minori quantitate, quod virtus aquæ medicatæ vino communicatæ facillime tranſiret, ac permearet per venas ad totum corpus, cum vtilitate ægrotantium, ſi cum ratione ſumeretur. Sic enim dicebat Eraſiſtratus, Fortes tum ciborum, tum potuum facultates tempeſtiuè quidem aſſumptæ maximum iuuamentum, intempeſtiue verò maximam offenſam afferunt, ex Gal. 3. in acut. nu. 4.

Ita quoque dicendum de carne; communiter enim pro ægrotantibus coquuntur cũ diuerſis herbis, ſeminibus, ac radicibus conuenientibus: aliquando in aqua chalibeata, cũ ſandalis, & ſimilibus; neque dãnatur talis vſus, & modus à ſapientibus Medicis, cum reddatur cibus ille medicamentoſus. Si hoc, cur non concedendum, morbo requirente, cibos coqui, & parari in aquis Medicatis, pro ratione morbi, non communiter, ſed particularibus aquis, conuenientibus ad intentionem illius vel alterius morbi, vt citius tollatur: Neque impediet diſtributionem alimenti, immo totum contrarium operabitur, quod conſuluit Mercurialis lib. 3. conſiliorum in declinante diabetica affectione, & in ſputo ſanguinis, in fluxu alui; dicens ſperandum eſſe plurimum conducturum, ſi carnes, hordeum, & omnia fercula ægrotantis coquantur in aquis Thermal. B. Virginis, ac Lucenſibus: ſimiliter vinum diluitur aquis mineralibus pro vtilitate ægrotantium. Et quando dicitur periculum eſt obſtructionum, facile aperientibus frigidis, vel calidis occurretur, vel in forma confectionis, vel potionis cum extractione lactis ex ſeminibus calidis, vel frigidis, vel eorum decoctione. Et licet parua facultas remaneat in cibis ac potu, illa qualis qualiſcunque erit, ſemper aliquid iuuamenti portabit ægrotanti, dũmodo optimam victus rationem, & conuenientẽ obſeruet in reliquis, & ſemper mediocritatem procuret ciborum.

De Stufis ſiue ſudatorijs. Cap. XXVII.

STVFA nomen barbarum eſt, à Latinis lâconicum, ſeu balneũ aereum dicitur. Quod quidem duplex eſt, vnum ſiccum, alterum humidũ; ſiccum dicitur, quando aer loci alteratus eſt à vaporibus calidis eleuatis ex materia ſicca poſita ſuper prunas, vel ab

H igne

igne accenso; humidum vero dicitur, cum aer alteratur à vaporibus eleuatis à materia humida, modo hæc materia sit aqua, vel herba, vel aliud quoduis humidum. Hoc genus stufæ magis commendatur pro aliquo membro affecto, aut pro aliqua intemperie tollenda, sed in gracili corpore maxima cautione administrandum; quare quædam foueæ naturales, & cauernæ repertæ fuere, ac postea arte accommodatę cómuniterque stufę dicuntur, vbi aquæ Therm. medicatæ actu erumpunt calidæ, & in his locis vapores sulphurei aliquando plus minus copiosi, calidi, & humidi, in aerem illum diffusi, colliguntur vniunturque, à quibus corpus nostrum alteratur, dum illas foueas ingreditur: incalescunt enim valde, & copiosus sudor citò prouocatur, ac per hanc euacuationem valde siccatur ipsum corpus, & intemperies frigida calore tollitur. Memorandum quoque est, ac sciendũ, quòd stufæ & foueæ istæ habent etiam vim emolliendi partes aliquas induratas, vt in omnibus affectib. ac morbis articulorum ex quacunque causa: siquidem in istis stufis, ac cauernis vapores humidi continuè ab aquis illis medicatis calidis eleuantur, qui facillimè penetrant carnes per porros, & cutis meatus dilatatos, & apertos, dum morantur in ipsis, & tunc humores subcutanei attenuãtur, liquantur, & funduntur, per insensibilemque transpirationem discutiuntur, & resoluuntur, atque tunc affecta pars retinet, & acquirit faciliorem motum. Ad imitationem harum stufarum naturalium fuerunt aliquando latentiæ constructæ, & ornatæ ad vsum ęgrotantium, in diuersis balneis, & publicè in baln. Patauinis conspiciuntur; possunt parari etiam artificiales in domo, & pro toto corpore, & pro aliquo particulari membro; quando aqua Therm. & medicata potentia calida ponitur in tinaculo, vel alio vase calida actu, quod vas obturatur cooperto ligneo, in quo adsit foramen amplum, & arte calida manens aqua continuè mittat per illud orificium vapores calidos & copiosos, quibus vel totum corpus, manente semper capite extrà, cum Auic. lib. 1. f. 4. d. 5. c. 7. vt frigidũ aerem attrahat, alteretur, & solum cætera membra vaporibus ipsis calefiant, vel aliquod membrum particulare, quod linteo, vel panno aliquo suspensore coopertum maneat, vt vapores diutius conseruentur, cómunicantes suas qualitates parti ipsi. Et vt copiosiores vapores reddat aqua, & emittat in ipso balneo, sæpius ferra ex chalibe, aut lapides igniti extinguuntur, & hoc modo virtus talis aquæ medicamentosæ intimius penetrabit, sic omne membrum lęsum, vbi opus est sedatione doloris, resolutione, emollitione materiei, & correctione intemperiei, summum auxilium percipit, ac sentit. Celsus lib. 3. cap. vlt. laudat ad neruorum resolutionem, ad œdemata, ad hydropicos à quacunque causa: quo in casu cautè procederem in hydropicis, considerando semper habitum corporis, patientisque vires. Aetius in diabetica passione vtitur stufa, ac alij Doctores moderni: sic triplex potest esse vsus, vel quando nudum corpus totum ingre-

ditur

ditur talem locum calidum; vel secundo quando membrum particulare accommodatur linteo coopertum, ne aer exhaletur, & refrigeretur locus; tertio, quando per fistulam seu infundibulum magnum, & cum longo collo, arte paratum, vapor ille penetrans ascendendo in aliquem locũ internum, vt in aures, ad dolorem ipsarum, ad tinnitum difficultatemq; auditus, insensibiliter discutiendo flatus, similiter in vterum susceptus ex arte per infundibulum obstructiones matricis tollit, menses ducit, & mucositates cotylidonum circa vasa vteri exsiccat, ac abstergit, cum sint sæpe causa sterilitatis, & abortus, vt notum est in Medicina. Alterari ac diminui potest calor stufæ voluptatis imperio. Solent quoque multi ex stufis istis persentire maximum iuuamentum in membro aliquo particulari, quando volunt vti luto medicato ad illud membrũ. Si enim prius stufa vtantur, intimius penetrat virtus luti, sat est illis vti, seruando quæ dicta sunt quò ad vsum aquarum medicatarum, dummodo non incidat in deliquium animi, & ante vsum magna vtatur purgatione, vt supra sæpe dictum fuit: post vsum quotidianum æger ingrediatur lectũ facta detersione, ac siccatione conuenienti; & si esset pro aliquo membro particulari facta, vngatur illa pars affecta aliquo oleo, quod habeat eandem facultatem cum vapore illius stufæ: & inter alia optimum est oleum, quod quandoque colligitur in ipso balneo, vel locis vicinis, sicut in balneo Lixiniani sæpe colligitur, vel paretur aliquod artificiale, & magistrale, vt infra dicetur. Nec prætereundum stufas artificiales debere calefieri lignis bonis odoriferis, & non putridis ac vitiatis (vt aliquando vidi) cũ Gal. 2. aphor. 41. & vlterius eadem caliditas non omnibus ægrotantibus conuenit, sed modo magna, modò parua, modo mediocris; quare stufæ non videntur omnibus fructuosæ, nisi diligenter seruentur omnia præcepta. Cauendæ sunt stufæ in macie, in morbo longo, in affectibus calidis, ac siccis, & in corporibus facile animo delinquentibus; ante stufam vtile valde est disponere, ac præparare partem balneo aquæ Therm. eiusdem facultatis, vt exoneretur natura, & assuescat sudori. Terminus stufarum est 10. vel 12. dierum, semelque tantum in die, ieiunè semper, & per horam ad plus tantum.

De luto Thermali medicato. *Cap. XXVIII.*

POST balneum, vel guttam, vel fomentationes aut stufam circa partem aliquam affectam, si ita opus erit pro dispositione materiei, vsus quoque alicuius coeni, siue luti Therm. medicati summopere laudatur, ad emolliendam aliquam partem induratam, discutiendo materiam viscidam, tenacẽ, & impactam, vt lutũ balnei S. Barthol. S. Helenæ in agro Patau. vel de aquis in agro Ticinensi, vel Lixinia

ni, ac Barboliorū, & Ripæ Altæ in Ducatu Parmensi, vt quamplurimis vicinis circum circa bene notum est. Dixi medicatum, nisi enim sit calidū caliditate naturali in actu, vel potentia acquisitum in proprio fonte, aut parum, aut nihil prodest; vtimur etiam tutò ad resoluendos, & discutiendos eos humores, qui iam eliquati sunt & emolliti. Tertio vtimur ad siccandas, & corroborandas partes neruosas. Quarto ad calefaciendas partes refrigeratas, & licet omnes partes iuuamentum possint recipere à luto, præcipuus tamen vsus est circa partes neruosas, & articulos, vt sint etiam, qui ex applicatione supra ventriculum arte quadam ac methodo, incredibile iuuamentum sint consecuti in coctione, seu faciliori, ac leuiori digestione ciborum: Ante vsum luti, corpus est purgandum, atque alia supradicta veniunt obseruanda, vt cum ratione & vtilitate administrentur, & hoc ex Galeno 11. simpl. medi. 3. & ex Aetio Tetrab. 1. serm. 2. cap. 3. Materia luti est foecositas, spurcities, & sordes quædam ex diuersis rebus, residens in fundo aquæ Therm. medicatæ, seu terra cœnosa, pinguis, viscosa, lenta, humido minerali, & medicato mixta, & macerata, in aliquo loco principaliter collecta, & aliquando etiā artificialiter, vt in multis locis conspicitur; de quo Plin. lib. 31. cap. 6. vtuntur cœno fontium ipsorum vtiliter, sed ita se illiniunt, vt sole inarescat, aut ignis calore siccetur; locus vbi lutū administratur duplex est, vel ad mineram, & vbi propè excauatur, vel procul & vbi placet ægrotanti. Primo modo, quando virtus luti insita consistit in propria caliditate lacunæ, & si remittatur caliditas, refrigeretur, proculque exportetur, exhalando spiritus sulphureos, ac bituminosos, reddatur debilior valde in sua operatione, vnde legitur apud Fallop. cap. 22. & apud Baccium, Serenissimum Cosmum Medicem, Magnum Florentiæ & Tusciæ Ducē, obseruantissimum rei Medicæ, cum haberet chordā brachij retractam, curasse lutum Diui Bartholomei, balnei Patauini, in vasis duobus aqua calenti continuò, & perpetuò, veluti balneo Mariæ calefactum, deferri Florentiam, ac ad vsum contractionis neruorū brachij offensi non modicam ex eo ad huc calido sensisse vtilitatem; sed non omnibus contingit adire Corinthum. Secundus modus vtendi luto, erit, quando patiens luto procul à loco & minera potest vti, licet bituminosis, & sulphureis vaporibus constet, cum frigidum colligatur & extrahatur, operariq; certū sit non minus longè, quam apud ipsum locum & mineram, si ex arte vera administretur. Tale est lutum Barboliorum, Ripæ Altæ, & Lixiniani, cum frigida colligantur. Præparatur postea ac disponitur pars affecta ante illutationem, si ipsa pars detineatur in vase pleno aquæ Thermalis, calidæ, actu, & potentia, vel foueatur eadem aqua calida cum spongia, vel eadem calenti aqua: gutta fiat super affectam partem, donec incalescat, porriq; aperiantur partis affectæ. Sic enim aliquo modo funduntur humores, & quod concretum est in parte lęsa emollietur, ac liquabitur,

quabitur,

quabitur, vt lutũ maiorem, salubriorem, ac celeriorem faciat operationem,& quandiu hærebit parti, magis vires suas imprimet. Modus vtendi luto medicato vtilis triplex est, sole, igne, & luto calido à propria minera, vel artificialiter,& balneo Mariæ caliditate quadam acquisita. Primo modo Aestiuis,& calidis temporibus, & in meridie administratur, leniendo partem affectam luto plusquam tepido, non tamen multum subtili: deinde pars lutata Soli optimo ac potenti exponitur, donec fuerit siccum,per seque decidat, vel manu auferatur,& iterum pars illinitur soliq́ue iterum exponitur, faciendo hoc ter, & quater in hora, si cito exsiccatur: potest etiam superponi lutum nouum, sed subtile,alio exsiccato, & sic superemplastrata pars exponitur soli, vt iterum exsiccetur: vltimo abluitur pars aqua balnei calida, & panno detergitur, postea vngatur oleo balnei, vel alio similis virtutis artificialiter parato, vt infrà. At semper cauendum ne caput, & reliquæ partes corporis à sole offendantur, sed sub vmbra maneant, aliter periculum esset inflammationis corporis, & febris superueniet: quare arte quadam tanquam per foramen, ac fenestram sol debet exsiccare lutum. Secundus modus est calore ignis, quando sol non esset calidus ac potens, patiensq́ue indigeret lutatione, tunc potest, ac debet administrari cum calore ignis, vt si ante lutationem pars calefiat, foueatur spongijs imbutis, vel balneo præparetur, ac disponatur ad luti vsum, calore ignis cum prunis blandis in vase positis, secundumq́ue artem accommodetur pars affecta lutata,& panno cooperta more stufarum exsiccetur. Ac multi sunt,qui magis hoc modo, & commodius sine periculo vtuntur, & fęlicius circa brachia, ac crura. Administrari quoque potest quocunque tempore, etiam frigido, dummodo lutum tempore calido,ac sicco fuerit collectum, nec indigeat calore naturali balnei, pro conseruatione suæ virtutis, quia non extrahitur calidum,& vltimo patiens maneat in thalamo calido, & caueat semper, ne pars læsa offendatur à frigore; aliter paruum sentiet iuuamentum. Tertius modus vtendi luto medicato est, quando in vmbra quocunque tempore anni ac hora diei, si vrget morbus, administretur, seruando semper ante, quod dictum fuit, vt emolliatur, ac disponatur pars, vel cum balnei aqua, vel cum fomentatione, vel cum stillicidio, ac seruatis diligenter horis cibationis, vt sit completa prima coctio. Emplastretur pars affecta leuiter luto medicato, calido, calore insito, ac naturali à propria minera, & prout extrahitur; nisi sit nimis calidũ, vt illud Patauinũ S. Petri, vel calidum sit artificialiter balneo Mariæ. Sit ergo moderatus calor, vt pars assuescat paulatim illi calori, propter pericula iam dicta, deinde augeatur ita caliditas, donec quantitate moderata factus fuerit cumulus luti supra partem affectam, & detineatur donec refrigeretur, deinde abijciatur; potestq́ue renouari, modo magis, modo minus, habita ratione tolerantiæ, temporis anni, habitus, ætatis, morbi, ac similium.

lium. Sunt qui ponunt lutum in tinaculo longo, aut alio vase ligneo proportionato, dummodo lutum sit liquidum, & in eo calido tenent pedem, crus, brachium, aut manum, faciliusque possunt conseruare calorem ipsius luti, pro vtilitate patientis. Vltimò lauetur pars aqua Therm. siccetur optimè, & vngatur oleo similis virtutis luti medicati. Communiter solet esse in vsu oleum de therebint. de cera, de lateribus, olc. irinum, petroleum, de antera; vtque ista olea similem acquirant cõplexionẽ potentialem cum balneo, ponatur quarta pars aquæ balnei cum oleis, & bulliant balneo Mariæ ad consumptionem ipsius aquæ Therm. & seruetur ad vsum pro vnctione loci, addendo modo vni, modo alteri medullam crurum bouis, pinguedinem gallinæ, & modicum croci, fiatque vnguentum secundum artem. Alij vtuntur vnguento Bdelij Mes. vel cerato hyssopi, vel dialthea cum oleo hypericonis, & modico aquæ vitę, & similibus. Tempus particulare pro singula vice, tam in mane, quã in vesperis, erit vnius horę, plus minusve, secundum tolerantiam patientis, & secundum vtilitatem perceptam; semper incipiendum à minori spatio horæ, sensim augendo, donec deueniat ad terminum, à quo postea retrocedendum, donec reuertatur ad spatium inceptum, vt supra de alijs vsibus dictum fuit; & qui hoc non obseruant, sæpe incurrunt aliqua symptomata, vel pericula. Numerus dierum est incertus, modo plus, modo minus secundum quod tolerabit patiens, percipietque vtilitatem, & aliquod symptoma non impediat perseuerantiam vt 20.25.& 30.dierum. Tempus particulare vtendi luto medicato potest esse, facta concoctione ciborum, ante horam prandij per duas vel tres horas, si soli non exponatur; cum semper vna hora ad minus quiescere debeat patiẽs ante cibum. potest etiam esse post cibum, ac prandium, transactis sex, vel septem horis, ad plus octo à prandio, cum in hoc horarum spatio ferè completa sit digestio ciborum; modo parum comedat in mane, vt duo vitella ouorum, offam panis in iure, modicum carnis, & parum bibat; post lutum quiescat per aliquod tempus, deinde copiosius, ac lautius cęnet. Quare iuuabunt luta medicata, si cum ratione, ac vsu artis administrentur, non empirico modo, nullo seruato tempore, nullo modo bono, nulla præparatione, nec habita consideratione temperamenti partis, ad quæ sequuntur multa incommoda, ac symptomata, quæ Medicis faciunt negotia, vnde ab ægrotantibus aliquando vituperatur remedium ita potens, & generosum; Propterea affectus pręter naturam diligenter est considerandus, eius causa ac temperamentum patientis. Si enim affectus est frigidus, & causa frigida, requirit lutum calidiorem, & actu, & potentia, ac longiori tempore; vnde si frigidi, crassi, lentique sint humores, tunc locus affectus illinitus luto medicato soli exponatur: at si frigidus & siccus humor concreuerit, & humores sint valde duri, crassi, & partes sint extenuatæ, ob nutrimenti penuriam, tunc luta humidiora

midiora conueniunt,neque soli exponantur, sed balneo Mariç, aut naturaliter calefacta parti affectæ applicentur, & vt seruetur eorum caliditas crasso aliquo tegumento cooperiatur. Narrat Gal.lib.9.simpl. medic. de differentijs terræ, se vidisse Alexandriæ quosdam aqua inter cutem laborantes, ac lienosos terræ Aegyptiæ luto vtentes, multos qui suras, femora, cubitos, brachia, pectusque inungerent, ac perspicuè iuuarentur: idem & veteres phlegmones, & laxa œdemata iuuat, nouisse etiam quosdam dicit, qui ex immodica per hęmorrhoidas euacuatione tumidi facti, non obscurè fuerunt adiuti; sed & quosdam diuturnos, fixosque parte quapiam dolores passos luto illo plane persanatos esse: desiccandi namque virtutem terra quæuis possidet. Hæc Gal.ex quibus virtutes luti Barboliorum, Ripæ altæ, ac putei Lixiniani Deo fauente multæ demonstrantur, cum Aestate possit colligi, ac seruari pro alijs temporibus, si tunc aqua medicata emolliatur, ac balneo Mariç incalescat, vt notum iam est, sępeque iam dixi corpora diligenter prius esse purgâda; ob id cauendum cataplasmare aliquam partem, corpore non euacuato, cum tota schola Medicorum, ne noua materia ab alijs partibus attrahatur ad locum ægritudinis, & fama bona balnei denigrescat, cum empirico modo persæpe administretur. Illud sciendum, quòd ex luto thermali arte chimica extrahitur oleum, quod est vtilissimum, ac magnæ efficaciç illis partibus, quibus conueniunt luta, sicq; potest ad alias etiam longinquas regiones, pro morborum vsu transferri.

De symptomatibus, quæ veniunt in vsibus aquarum Thermalium. Cap. XXIX.

MVLTA sunt symptomata, siue accidentia, quæ persæpe solent euenire, & contingere illis, qui quouis modo vtuntur aquis Thermalibus Medicatis: Alia enim ferè omnibus accidunt, etiamsi cum ratione vtantur, & sunt naturalia: alia ex malo vsu inordinatoque modo: Alia, vel quia non conueniunt talia balnea, vel ex errore quopiam commisso superueniunt: illorum, quæ frequentius accidunt, & quæ sunt nu. 17. non curationem absolutam dicemus, sed quomodo eis aliquantulum occurri possit aperiemus, cum ferè eadem curatio omnibus conueniat, vt ægrotantes libentius aquis Therm. vtantur, & de nobis benè sentiant, etiam si procul erunt. Primo vomitus solet euenire potantibus aquam Thermalem copiosius, quam ventriculi capacitas continere potest, aliquando alia de causa; vnde si accidat prima die, & à patiente bene toleretur, bonum est cum Hippocr. euacuat enim plurima excrementa, quæ sunt in ventriculo contenta. At si secundo, tertiove die accidat, diuertendum est omni arte, & ad inferius materia est trahenda

henda cum clysteribus acribus, ac stimulantibus ex melle rosato, oleo de ruta, hiera picra, & aqua balnei salsa, vt aqua Apponi, Tetutij, Porrettæ, Lixiniani, ac sim. vel paretur decoctum cum fœniculo, ruta, centaurea, floribus camom. sem. lini, & similibus, ac addantur supradicta. Quo reddito bibat altero die aquam, & illicò cucurbita magna ventriculo applicetur, odoretque bonos odores, & prosequatur bibere. At si denuò succederet vomitus, desistat à potione, fiatque alius clyster, & procuret alijs diebus bibere, sed non tantam quantitatem aquæ, ne ventriculus nimis defatigetur.

Solet secundo quædam lassitudo ac imbecillitas ventriculi bibentib. aquam medicatam aliquando euenire, ne ideo crescat, maiorque fiat, occurrendum est cum corroborantibus ventriculum exterius, oleo absinthij, masticis, nucis muscatæ, gariophyl. & modico ceræ parare linim. vel cum gumma tachamacha, Theriaca, ac cera ex Monardes, interius etiam occurri debet cum rebus stomaticis, quæ habeant peculiarem virtutem corroborandi, tam in forma medicamenti, vt balsamum occidentale, quam in forma alimenti, vt exhibendo citra condita, cotoneatā cum pipere, syr. de corticibus citri, de menrha, aromaticum rosa. coriandra præparata. Aliqui tenent posse intermitti potum aquæ vno die, duobus ve; sed hoc aliquando malum, cum difficilius postea reddatur aqua potata. Torpescit enim natura, & ratione moræ interpositæ distrahitur ab expulsione aquæ, & è contra accidit, si patiens bibat continuatis diebus, natura inualescet in expulsione, & quotidie eam melius reddet. Quare cum vomitus sit aliquando vtilis, aliquando noxius, semper omnia considerare debet Medicus rationalis, & methodicus, vt ex vsu artis diligenter curetur, & cōualescat patiens. Quòd si retineretur aqua, quod est tertiū symptoma, quid faciendū, diximus supra, corpus debere esse optime purgatum, non semel sed bis, at ter, vt viæ, ac ductus optimè sint liberi, & aperiantur, materiæ attenuentur, atque detergantur; alioquin materia illa mucosa, crassa, & viscida, mixta cum aquis Thermalibus, & medicatis obstruet meatus ipsos, ac vias deputatas, ita vt nec per vesicam, nec per vomitum, nec per secessum, nec per vllam aliam viam bene egredi possit aqua potata. Verum quia solet retineri aqua bibita, vel in hypochondris, vel in intestinis, vel in toto ambitu corporis, in concauitatibus, ac venis ipsis, ob id quando detinetur, cognoscendum est diligenter, atque inuestigandum, in qua nam parte retineatur, vt succurrere possimus. Diuersis enim remedijs solet occurri huic symptomati, quamuis vnica sola sit intentio, atque indicatio, nempe euacuatio, & excretio ipsius aquæ vbicunque retentæ: quando ergo retinetur in hypochondrijs, ac intestinis, aderit molestia & dolor quidam in illis partibus, tensio grauis percipietur, necnon rugitus sentiuntur ac flatus; & in motu ac agitatione, vētris quædam inundatio, modo in hac, modo in illa parte

mani-

manibus ſentitur. His ſignis cognoſcitur aquã retineri in hypocondrijs, ac inteſtinis: ſed ſi retineretur in ambitu totius, ac in venis, nullum ex dictis aderit ſignum: quare opus eſt ſemper, vt quam primum eo die ac ante prandium tota illa aqua retenta extraducatur, & euacuetur, ſi fieri poteſt, clyſteribus dictis, primo ex aqua nitroſa, ſalſa, addendo hieram picram, & mel roſ. ſolut. Quòd ſi non euacuetur, fiet in veſpetis alter validior clyſter ex dec. in aqua ſalſa, parato cum folijs ebuli, cucum. aſinini, vel ex eorum radicibus cum agarico, coloquintide ligata in pecia, & hiera picra, pariter etiam laudatur decoctio in vino potenti, addendo ſupradicta, vel braſſicam marinam, centaurum minus, cuminum pro parando decocto add. poſtea quantitati debitæ decoct. ole. laur. aut rutaceum, ſapam, ac ſalem ſecundum artem. His proculdubio maior pars aquæ educetur, quo facto prandeat, ſed leniter, & ante cœnam imponatur alius clyſter ex dictis. Sequenti die experiatur bibere aquam, quæ ſi retineatur pro maiori parte, dicendum quòd viæ ſunt obſtructæ, quia corpus non eſt bene purgatum, & factis ſupradictis remedijs omnino ceſſandum à potu, quouſque optimè purgetur. Hinc Etruſci Medici, vt certiores fiant de tranſitu aquæ, exhibent vncias quinque olei amygd. dulcium recentis per diem ante exhibitionem aquæ, & eius continuationem, vt ſupra dictum fuit, & ſumma facilitate, ac citra violentiam ſuperfluitates ventriculi, renum, inteſtinorum per aluum ducũtur, & ſimul ſucci auertuntur, qui in communibus ductibus redundantes, facile poſſunt obſtruere vias, per quas tranſire debet aqua Therm. & medicata. At ſi in primis diebus detineretur ſolum portio aliqua in toto corpore, cum reliqua vel per vrinam, vel per aluum, & forſan per ſudorem fuiſſet reddita, & euacuata in nocte, tunc diligentiſsimi Medici & experti, vt expurgetur ventriculus, per horam ante cęnam, quando volunt ægrotantes in mane aquam incipere bibere, exhibent pillulam vnã, quæ purget, proritetque aluum, ac eum præparet ad validam excretionem, vt ſunt pill. alephang. de tribus cum rhab. aut maſtichinæ Concil. cum ſyr. de duabus, formetur bolus mollis, aut pill. ad libitum. Deinde commiſcent cum primis duobus cyathis aquæ Therm. modo mel. roſ. ſol. modo ſyr. roſ. ſol. modo mannã, modo iuleb paratum cum rhab. ſyr. de duabus, modo cum ſem. alchechengi, vel vncias tres ſucci ſem. melon. cucurbitæ, aliqui vitriolant ſecundũ artẽ primũ cyathũ. Aliqui exhibent lib. tres, quatuorve aquæ Tetutij, Lixignani, balneoli, addendo modicum ſalis, vt citius euacuetur. Si verò aqua retineretur in venis totius corporis, maximè ſi ſit potentia frigida, exhibent altera die matutina hora mannam cum decocto radicum iridis, aut ſoldanellæ, & ſimilium. Proficuum ego maximè inueni experientia certiſſima mechiocham, ab aliquibus dictum rhabarb. album, ad dracmas duas puluerizatum craſſo modo, & ſumptum, vel cum vino, vel irroratum ſucco ireos, ac mix-

tum cum modico electuarij rof. Mef. in forma boli; euacuat enim fine molestia ex Monardes, & multam serositatem educit, vt experientia sæpissime confirmaui in ascitii hydrope. Quare omni diligentia, ac studio euacuanda est aqua bibita, si sit multa, quæ fuerit retenta, & potentia frigida; putrescens enim ipsa refrigerare potest totum corpus, & causare hydropicum morbum, cum Gal. 6. de loc. aff. 1. 5. eiusdem 7. Auer. 7. collig. 8. Serap. T. 4. c. 7. His in locis plurima sunt exempla eorũ, qui cũ læsione potarunt intempestiuè aquam frigidam, & Mont. cons. mihi 67. dicit cognouisse iuuenem post lusum paruæ pillæ, sic Mercur. primo de venenis cap. 17. dicit experientia certa constat aquam frigidam, & vinũ frigidum corporibus calefactis esse venenum. Fallop. cap. 11. laudat, quando retinetur tota aqua Therm. vt exhibeatur scrupulus pill. aleph. cum granis duobus elaterij optimi ante cœnam per horam: Sed hæc dosis elaterij sępe nõ facit, & tutius est augere dosim ad grana quinque & septem, ac plura, & pill. sunt suum correctiuum. Trincau. primo lib. cons. nu. 37. exhibet dracmam vnam pill. de tribus, cum scrupulo semis elaterij rectè confecti. Sunt qui exhibent antimonium optimè præparatum, siue sit in forma lapidis communis, diuersi tamen coloris, ut Matth. Euonimus, Mercatus, ac alij recentiores, siue in forma pulueris albi, vt Zapata, & forsan Algarotus ille Veronensis in suo puluere albo. At si timetur quòd non ferant talem euacuationem his remedijs, imitemur Aetiũ serm. 2. T. 3. cap. 21. qui exhibet dracmam vnam pulueris rad. cucum. syluestris, infusi in vino albo potenti, per noctem, absque vlla decantatione, & hoc per aliquot dies continuos.

Ego ad euacuandam aquam exhibeo fœliciter semina ebuli: aqua vitæ præparata, vel ipsorum seminum oleum, arte extractum, ad dracmam vnam cum vino, vel cum iure. Alterum symptoma quartum valde periculosum, quòd solet superuenire, est quædam conuulsio in nocte, vel quando aquæ portio descendens per intestina, stillat ad os sacrum, & crura per neruos magnos; illicò enim aquæ retentæ in venis collabuntur in articulos, & ita continuè offendit partes frigidas, ac aliquando in eis materia frigida incrassatur, vel quando bibitur aqua, aut balneatur tempore frigido, locusque sit frigidus, habitus corporis densus, atque constipatus. Tunc non solum difficilis redditur aquæ exhibitio, verum etiam ex balneo sæpe dolor, & crurum conuulsio excitatur; quare habitet patiens semper in loco calido, & bene induatur, ac plantæ pedum teneantur calidæ; & vngantur partes dolentes oleo vel vulpino, vel hyperic. cum aqua vitæ, remedium efficax ad affectus neruorum, aut fiant fomentationes vino, decoct. saluiæ, calamenti, rorismarini, & floribus camomelli, fricetur etiam pars cum pannis calidis, quod si non cesset, dimittatur vsus aquæ, & occurratur huic symptomati cum clysteribus acribus iam dictis, quando retinetur aqua, & cum vnctionibus ex

oleo

oleo tuthaceo, laurino, cum modico sulphuris viui, & aqua vitæ.

Quinto magis frequens, & magis molestans quotidie patientes symptoma, est somnolentia quædã, quæ causatur intẽpestiuè à vaporibus, qui continuè ab aqua Therm. eleuantur ad cerebrũ, & ipsum replentes, vnà cũ humorib. ab ipsius cerebri frigiditate condensatis, faciunt obstructiones meatuum, per quos vapores non possunt exhalare, quare extrinseca causa remouenda, & intrinseca corrigenda. Primo ergo dimittatur vsus aquæ, vel intermittatur cum multis Doctoribus, sed mihi non placet propter rationes supra adductas, quia difficile postea alijs diebus aqua pertransiret, & ideo melius est, vt quotidie bibat aquam, sed otium vitetur, conuersando iocosè cum sodalibus, & amicis, fabulando, & nouas res adducendo, ac ludendo, leuique vtatur exercitio, ac tempestiuo. Secundo corroborandum cerebrum, ne vapores suscipiat, odorando fol. ruthæ, mentastri, calamenti, abrotani, castoreum, acetum, cum floribus arantijs, ebullitum fortius est cum peucedano, vel nigella. Tertio comedat post cibum, quę reprimant vapores, vt cotoneatam, persicatam, coriandrum cum saccharo, & sim. Quarto fiant aliquando diuersiones, vt ligaturis crurum, frictionibus leuibus, cucurbitulis siccis, vt dissipentur vapores percepti ab aqua quouis modo administrata per interius, & per exterius. Sunt qui tegunt caput scufia, atque valdè confert.

Sexto vigiliæ, tanquam contrarium symptoma, aliquando apparent, & maximè si aqua potentia esset calida, patiensq; habeat caput calidũ, & siccum, hoc in casu fugiat omnia ea, quæ animum solent cruciare, postea vtatur illis, quæ cõmuniter sunt in vsu apud Medicos, & interius & exterius pro cõciliando somno, vt linimentũ ex oleo nenuph. posito etiam in naribus cum Rabi Moise, aliquando cum gr. vno opij. 4. sec. loc. 4. aliquando exhibetur leue somniferũ ex syr. de papau. seminibus ipsius saccharo conditis, ptissana cum sem. lactucæ, vel papau. lacte extracto secundum artem, & cum aliquibus post cibum medulla panis infusa in vino dulci. At si tota causa attribueretur aquæ medicatæ, ab eius vsu omnino abstinendum; & interim crura, ac brachia post cœnam lauentur decocto tepido ex lactuca, folijs vitis, salicis, violarum, florum camom. capitum papau. & sim.

Septimo molestantur patientes aliquando à dolore capitis, ob id vt reprimantur vapores, sint in vsu quæ dicta sunt superius de somnolentia, vt saccharũ rosſ. cotoneata cum saccharo, persicata post cibum; aliquando ante prandium fiant ligaturæ partibus sanis, vel applicentur cucurbitulæ siccæ dorso, naribus, cruribus, & fiant lotiones ante cibum.

Octauo catarrho quandoque laborant patientes, vtentes quouis modo aqua medic. & hic fluit ad diuersas partes corporis, quare detineat in ore saccharum cãdidum violatum, diacodion cum saccharo, aquam hordei saccharatam, & post cœnam cũ Auic. vtatur sacch. rosſ. hora somni;

& vngatur pectus oleis relaxantibus, camom. amygd. dulcium, ac butyro mixtis.

Nono dum bibitur aqua, si superueniat lassitudo ob imbecillitatem ventriculi non tolerantis tantam copiam aquæ, vel diminuatur quantitas, vel omnino dimittatur, aut intermittatur potus, aut alius vsus, si in mane sentiatur.

Decimo ex materia catarrhali, in vsu præcipue stillicidij, læditur visio, quare ne fluxio ad oculos feratur, fiat lotio aquæ rof. plantag. circa totam faciem, & adde modicum sumach cum illa pro oculis, vt fiant ligaturæ extremis partibus, nec non frictiones.

Vndecimo animi defectus frequenter vtentibus balneo solet accidere, vel quia diutius quam par sit, & ferant eorum vires immorentur in balneo, cum non sint assueti, vt narrat Gal. 2. aphor. 41. vel quia patiens habeat os ventriculi valde imbecillem, ac languidum, propter bilem ibi existentem. Si primò maneat breuiori spatio in balneo, ne incalescat cor, vt dicit Auic. lib. 1. f. 2. & odoret fragrantia, & confortantia virtutẽ vitalem, vt arantia, rosas, gelseminos Hisp. ambram, & sim. Si secundo abstergatur os ventriculi à bile, exhibendo offam panis madefactam vino granatorum, vel marenarum, vel succo limonum, arantij, agrestę, cum saccharo, & simil.

Duodecimo his sæpe succedit, quòd patientes persentiant magnum calorem in toto corpore, ac talem inflammationem, vt videantur aduri. Hoc accidit aliquibus, dum sunt in balneo aquæ potentia calidæ, alijs post egressum balnei, vel vsum luti, & aliquando subsequitur febris, aliquando non. Pro tali accidente notandum, ne balneum sit calidum valde, sed tepidum, similiter ne patiens, dum est in balneo, moueatur, vel agitetur, vt supra dictum fuit. Tertio ne diù moretur in balneo, aut soli calido maneat. Quarto abstineat per aliquot dies ab omni vsu, vtens interea victu refrigerante, ac humectante, & potu refrig. vt aqua hordei, cichorei, acetosæ, cum iuleb, aut acetoso simpl. conserua rof. cichorei, acetosæ, violatum est vtilis. Foueatur quoque hepar cum Auic. epithemate aliquo refrigerante ex aquis dictarum herb. ac florum, vel cum decocto earundem herbarum, addendo acetum rof. & species cordial. aliquando camphoram, vel vtatur infrig. Gal. rosato Mes. sandal. allabastrino, vel cerato rof. Alexandri Tralliani, descripto epistola de lumbricis, & remisso calore ingrediatur iterum balneum moderatè calidum: Fouendo semper ante ingressum hepar aliquo refrigerante dicto, sæpe eum mutando, & in mane bibat aquam endiuiæ, cichorei, cum iuleb rof. aut acetositate citri, & sim.

Idem dicendum, quod erit tertiumdecimum symptoma, si sudor molestaret ægrotantem, quia debet vti aqua tepidiori, & minori tempore manere in balneo, non detergendo ipsum, aut desistat; & semper

desisten-

desistendum, si febris superueniat, in omnibus vsibus aquæ.

Decimoquarto. Appetitus prostratio eadem causa calorifica introducta in ventriculo solet euenire vtentibus balneo; quare occurratur cum refrigerantibus, atque roborantibus os ventriculi, sumendo ante cibum miuam cytoniorum sine speciebus, offam panis cum succo arantiorum, limonum, agrestæ, &c. ac fouere oportet regionem ventriculi cum absinthio syluestri, menta, rosis, & oleo ros. secundum artem, oliuę quoque laudantur pro primo cibo.

Decimoquinto, sitis inter alia solet maximè molestare eos, qui ingrediuntur balnea aquarũ Therm. & à caliditate ventriculi, vel hepatis dependet; vnde Paulus dicebat veteres solere balneis vti, vt magis sitirent, & maiorem vim bibendi haberent, & acquirerent. Si leuis ergo erit, toleretur, si magna ceuiè agendum, parenturque remedia, & intrinseca, & extrinseca, maxime si humores in visceribus essent biliosi, vel salsi, quare cum Fallop. cap. 12. capiat dracmas duas floris cassiæ ante cibum, post cibum abluat os posca, aqua hordei, detineat in ore liquiritiã cum Gal. & Plin. lib. 26. prunos, marenas, syr. de ribes, rad. endiuiæ, & cichorei conditas, sach. ros. viol. diacodion, succum limonum, citri, aquã hordei cum iuleb, ius decoctionis fol. acetosæ, portulacæ solent laudare Doctores. Extrinsecus iam dicta vnguenta Mesuis, Alexandri, & Gal. ventriculo & hepati applicentur, aut succi refrigerantes.

Decimosexto, maximum quoque symptomata est illud ardoris vrinę, quod superuenit illis præcipuè, qui bibunt aquas potentia calidas, eò quia habent ventriculum frigidum, vel intestina refrigerata; & cum talis aqua debeat reddi per secessum, capit iter ad vesicam, secumque ducit humores acres, qui continentur in dictis partibus; quare à principio proritanda sunt intestina, vel clyst. dictis, vel exhibendo cum aqua mel ros. sol. syr. ros. sol. mannam, & sim. vt fuit dictum, & aqua habebit exitum per secessum. Pro mitigatione postea ardoris vrinæ macerentur per noctem in aqua illa salsa Therm. potentia calida folia maluæ, aut pariet. lactucæ, nenuph. vel fiat conserua ex floribus maluæ, vel paretur ius pulli decoctionis althæ, maluę, aut ponatur vncia vna succi foliorum maluæ, qui confert multum siccitati ipsius aquæ, sicque facta colatura sumat ante prandium vncias sex iuris. Alij faciunt parare ferculum cum fol. maluæ, & parietariæ in brodio carnis, cum vitello ouorum, vel ex trahendo lac ex sem. melonum, cucurbitæ, & confert; sicuti aqua extracta è floribus, aut siliquis recentibus fabarum, cum syr. de liquir. nenuph. aut violato; alij sumunt vnciam vnam floris cassiæ, & vngunt renes infrig. Gal. quod si non cessat ardor vrinæ, dimittatur potus aquæ. Sed si retineretur aqua in vesica, oleum magistrale scorpionum Matth. vel magni Ducis Flor. cum parum differant, maximè experitur bonum, ad pubem cataplasma quoque cum folijs incisis sisymbrij, aqua

tici,

rici, parietariæ, vitellis onorum, & butyro, vel ol. amygd. dulcium paretur in patella secundum artem, Zirbus castrati calidus iuuat. Fom. cum vino decoct. gran. iuniperi, origani, pulegij, calam. mentastri, & sim. cū spongia, vel tali dec. ol. butyro, & sale paretur clyster. Aliqui exhibent, quæ valenter pellunt vrinam, vt semina alchechengi in vino, & alia à Gal. proposita in lib. de lapide renum. Moderni exhibent oleū vitrioli cum aqua, vel iure decoct. fol. maluæ, pariet: etsi his remedijs non emittitur vrina, deueniunt ad syringam, dimittendo potum aquę, nec vltrà eundum.

Decimoseptimo multis balneo vtentibus aluus sistitur, quare vel vtantur clysteribus communibus, & tepidis, vel parentur cum ptisana, & succo vel betæ, vel maluarum alternis diebus. Et si abhorreant, bibant ius antè cibum, decoct. prunorum, passularum, aut vtantur prunis decoctis in vino decoct. senæ, addendo mannam loco saccha. vel vtantur aceto passulato cum fol. senæ, maceratis per duos, aut tres dies, cōmuniter pro libra aceti fortis sumitur vncia vna fol. senæ mundæ, & dracma vna cinnam. contusi; aut sumatur ficus cum seminibus carthami mundatis ex Fallop. *Si* timeretur ne substantia ventriculi ex potu aquarū Therm. exsiccaretur nimis, ab assumpta & reddita aqua quotidie patiens ante cibum bibat iusculum paruæ pullæ medicatum cum folijs endiuiæ, acetosę, & maluæ, ita certe emendatur siccitas ventriculi ex aqua. possunt etiam euenire alia sympt. quibus facile poterit succurri, cum supradicta sympt. sint præcipua, ac frequentiora. Sic vnusquisque cauere poterit, quæ sibi obesse poterunt, cum omnium balneorum Therm. finis sit sanitas, nec indistinctè illis vtendum, vt multi empirici faciunt: post vsum aquarum Therm. quouis modo administratum, patiens tunc non percipit totale iuuamentum, sed ad tempus cognoscet, & sentiet, remanēte in mēbro facultate ipsarū aqnarū, corroborāte partes læsas. Et ideo optima victus ratio adsit cum Hip. 6. aphor. 49. & 1. progn. tex. 25. cum reliquiæ quędam morbi ad quadragesimum vsque diem aliquando extendantur, aut per totidem ad minus dies, quibus vsus est aqua Therm. cibus tamen sit paulò plenior, boni succi, facilis coctionis, tempore debito sumptus, cauendo à labore, sole, vento, ac pluuia, quantum potest, etsi persentiet in capite aliquam læsionem, illi occurratur, & caueat à coitu, maneatque lætus continua persuasione, ac fiducia valetudinis acquirendæ, & iucundè uiuat, euitans omnes contrarias occasiones, quæ ei nocere possunt. Naturalis siquidem cura est ægris dare lætitiam, nam fac inualidum gaudere animo, sanatus est. Quamuis aliquando timore & terrore aliqui fuerunt sanati, distrahendo naturam ad contrarium, ut legitur apud Alzarau. in pract. T. 6. c. 18. Franciscū de Pedem. supra Mesuem cap. 25. & Valesium sect. 4. lib. 2. Epidem. & hæc in uniuersali dicta sint Deo fauente.

De

De aqua Thermali in Ducatu Parmensi, Lixignani dicta. Cap. XXX.

EST locus, seu villa quædam parum distans ab oppido Turris Claræ, sanè delectabilis, ac nobilis, & salubris, propter amœnitatem collium, atque fluuiorum contiguorum per spatium duorum milliarum, vocatus Lixignanus, procul à ciuitate nostra Parma decem milliaria, vbi Puteus aquæ Thermalis, ac medicatæ, labore, opere, & arte ex lateribus factitijs, in æmulationem forsan Græcorum, antiquitùs à Romanis fuit fabricatus, & constructus, ne alia aqua vicina non Medicamentosa affluens ei commisceretur, sed tantum è terræ porris loci nobis ignoti excolaretur, vniretúrque, purgata, salubris, ac medicamentosa: adest præterea fabrica circa Puteum, quam ipsi antiqui ex diuersitate loci muro circundarunt, egregium propugnaculum cauatum sub terra monticuli illius. Dixi à Romanis, nam à puteo isto Lixigniani per quatuor milliaria adest Abbatia Cauanæ omnibus nota propter corpus S. Basylidis Martyris Romani anno Domini 300. sub imperio Diocletiani, Romanæ Reipub. Principis, qui vocauit pro socio laboris ad Imperium Herculeum Maximianum Vngarum, & vterque fuit magnus persecutor Christianorum, cum Diocletianus adorare se iussit, ut Deum, & gemmis, vestibus purpureis, & calceamentis se incepit ornare.

Modo Basylides cum alijs tribus socijs iuuenibus nobilibus, ac diuitibus Romanis, distribuens prius omnia bona sua pauperibus, nolens idolatrare iussu Diocletiani Principis, post multa tormenta fuit decapitatus cum socijs suis Christianis, & post mortem pro esca volatilibus, & feris traiectus fuit extra vrbem Romæ. At ipsæ feræ ac volucres noluerunt corpus dicti Martyris Basylidis, nec aliorum sociorum tangere: vnde secretè postea ab alijs Christianis fuerunt collecta dicta cadauera, & sepulta, vt legitur in vita Sanctorum; miraculoseque nunc iacet corpus Martyris Basylidis in supradicta ecclesia Abbatiæ Cauanæ. Cum enim post aliquod tempus, durante persecutione Christianorum, ab alijs nobilibus Romanis fidelibus & Christianis metu fugientibus, inter quos aderant quidam de familia Palludorum, clàm fuisset exportatum à loco, vbi erat repositum extra vrbem, in Lombardiam, & quotidie itinerantes in summitate collis Cauanæ, Territorij Parmensis, peruenere, ibique pernoctantes dicti Romani, more suo antiquo, cum non placuerit Martyri, diuino lumine, & instinctu, pro requie, & deposito sui corporis vlterius asportari, summo mane inuentum fuit à iam dictis Romanis miraculose exportatum, vbi nunc adhuc requiescit, vt legitur in chronicis

Parmen-

Parmensibus Sanctorum corporum; credendumque est, quòd postea illi nobiles Romani fabricauerint ecclesiā summa deuotione, propter admirationem, honori D. Basylidis Martyris; non dicam Monast. Monachorum Alborum Ordinis S. Bernardi, quamuis adhuc ibi antiqua videatur semidirupta sed pulcra fabrica magnitudinis Cœnobij talium Monachorum, inter quos postea fuit Donus Antonius Monachus de Balestrerijs 1492. vt legi in claustro dirupto circum circa picturam Crucifixi. Ecclesia est magna ampla cum capellis in formam Crucis, & subtus capella Altaris maioris, quæ est eminens, adest vacuum amplum, cū schala marmorea, in cuius medio in archa antiquissima conseruatur corpus Sancti Basylidis, ac custoditur ferrata ferrea. Extra portam ecclesiæ adsunt sepulturæ marmoreæ antiquissimæ illorum de Pallude, magnæ magnitudinis, & sumptuositate excellentes; & in alio loco, non procul à dicta ecclesia, remanent vestigia, ac parietes diruptæ magnæ habitationis, & castelli eorum: ac his temporibus adsunt adhuc possessiones descendentium ex familia de Pallude. Sed quomodo facta fuerit Abbatia Monachorum alborum, qui quotidie Sacrifitium D. O. M. tribuebant, sub nomine Basylidis Martyris patroni, & propugnatoris sui, tuncque cultus maximus huius Martyris habebatur, ac cōtinuè persolue bantur ei immensæ gratiæ, ac postea à dictis Monachis gubernerium, & habitatio fuerit ablata, non mihi constat, cum historiæ ac chronicæ antiquissimæ non reperiantur in nostra ciuitate. Nunc Abbatia dictę Cauanę est Illustrissimi Deophębi Abb. Farn. cum reddituu multorum aureorum ex liuellis terrarum, nomine Martyris Basylidis, & aliarum possessionum: quare teneo, quod illi nobiles Romani fuerint inuentores, ac fabricatores Putei medicatę aquę Therm. de Lixiniano, postquam ibi habitarunt, consenuerunt, perierunt, ac eorum corpora ibi fuit sepulta.

In expurgatione Putei Medicati sæpissime inueniuntur numismata cum figura coronata illorum Imperatorum infidelium; ego habeo vnā Constantij, inuentam à quodam balneatore, dum expurgaret puteum, vt moris est, quolibet anno in fine Veris. Solebant Romani antiqui, & nunc Moderni, totos ac solidos excauare montes, vt tam feruentem, quam gelidam aquam, suffraganie industria, per tubulos subterraneos arte dispositos, in balnea quadam deriuarent, & in excellentia horum insudarunt, vt Vitruuius, Seneca, & Cornelius Celsus dicunt, ac quotidie adhuc inueniuntur in diuersis locis antiqua fragmenta. Exemplum clarum habemus in nostra ciuitate ex Cassiodoro 8. chronic. epist. 29. Athalarici Regis Italiæ, regnantis anno Domini 530. Honoratis possessoribus, & Curialibus Parmensis ciuitatis: quando dicit Theodoricum auum suum largitate Regia, proprio sumptu, ciuitatem Parmæ diutina siccitate laborantem, iuuante Deo, saluberrima vnda rigasse; & in sequenti epist. præcipit, Spectabilem Genesium Parmensem huic operi

insistere,

insistere, vt solẽniter optatus liquor influat, quia gratiã vnda non habet, nisi quæ publice, & iugiter influit, & visa semper abscedit. Eodẽ titulo scripsit Theodoricus Rex ex Cassiodoro suo secretario lib. 6.nu.24. Ho noratis possessoribus, & Curialibus ciuitatis Neapol. quo titulo apparet manifestè quod Parma colonia Romanorum, tempore horum fęlicissimorum Regum Christianorum, erat in aliqua consideratione.

Regnauit pacificè, ac fœliciter Theodoricus Christianissimus annos xxx. & sub eius imperio plurimę ciuitates fuerunt renouatæ, plurima castella condita, & multa Regia procurauit adiuuante Deo, vt videre est apud Cassiodorum, & Procopium. Imitatus est hos Regios splendores, Regalesq; curas Princeps Ducum Serenis. Octauius Farnesius Dux Parmæ II. cum ad effectum prudentia sua perduxit, quæ Regia volun tas Theodorica inceperat, quando amore suæ ciuitatis beneuolentia innata cuniculos è terra subterraneos, seu riuulos clausos, antiqui nitoris fabricæ Regalis, qui erant situ, & antiquitate obscuri, à villa Marani procurauit diligenter quodammodo concatenari, & adaptari, vt de suo situ nullis maculis turpata celerem nobis præstet excursum fontana publica Parmensis saluberrimi liquoris fontium, quæ ciuitati Parmensi præstat ornatum, & de sua naturali puritate continue flueret sub delectatione; ac quod ascendere non valet, arte laberetur per ciuitatem, ad vtilitatem, & gaudium singulorum: Dicta aqua fontis perennis est, & copiosa, gradibus distincta, cum illi & illi sit gratis attributa, & concessa per fistulas æneas æqualiter motas in priuatis domibus, quæ(tanquam pulcherrima res) ad decorem domus singulorum conseruatur, vt videntibus inferat stuporem, & præter quod eius delectat dulcedo, in aspectu singularis huius, & illius est pulchritudo; illud enim semper est in pretio, quòd rarum ac ad decorem fuerit à subtilitate depromptum. maiora quotidie de se facit excellentia gloriosæ Recordationis Ducis Octauij optari ad solatium, ad delitias, & vtilitates vitæ subditorum.

Modò illi supradicti Romani Christiani (vt suprà dixi) inter quos ali qui de Palude erant, tentarunt ac construxerunt puteum medicatum Lixiniani, sed varijs temporum mutationibus, & bellorum Gotthorumq; stragibus, derelictus fuit puteus iste Lixiniani medicatus, & quasi inusitatus, non cognitus, ad leniendos, curandosque multos morbos iacuit, & veluti euanuit per multos annos, cum damno magno ægrotantium; donec successu temporis, cura,& diligentia Illustrissimi Petri Mariæ de Rubeis Comitis Berceti, Felini, & VI. Marchionis S. Secundi, viri sapientissimi, ac multi valoris sub Ducibus Mediolani anno 1454. quo tempore construxit, vt notum est per historias, oppidum, & arcem dictam tam pulcrã, ac delectabilẽ Turris Claræ (nunc pro varijs rerum, ac fortunæ casibus Illustrissimi Cardinalis Sfortiæ.) Restauratus fuit suis sumptibus, excauatus, expurgatus, & accommodatus leui quadam

habitatione pro aduenis, ac ad vsum Medicinalē: denuò ab eius Medicis, & à multis alijs sapientibus cognita aqua Therm. valde vtilis, & proficua, frequentata valde fuit, pro multis ægrotantibus, qui ad illum balneum mittebantur, ac ducebantur; quod etiam venit dicendum de luto. In hoc puteo medicato colligitur, scatet, & ebullit continuè per foramina terræ, per varios flexus, & anfractus ignotos, à radice seu pede montis cuiusdam, aqua Therm. medicata, frigida tamen actu, licet potentiali virtute calefacere valeat, ad 10. & 12. brachia, clara est aqua; & in fundo putei adsunt duo tusi magni, vt vidi dum remundatur puteus, in quorum medio seu distantia vtriusque inijcitur hasta ad tria, & plura brachia, à cuius profunditate continuè ebullit, & impetu exit, cum sonitu quodam illa copia aquæ decem & plus brachiorum: Collis altior in vno latere adest versus Septentrionē, satis amęnus, fertilis frugum, arborum, ac vitium, quæ egregium, notorium, ac celebratum reddunt vinum; & adsunt in planitie multi campi, ac possessiones fructiferæ, Ripa alta vocatur; Ex altera parte adest vallis, & planities lata ac magna, apud fundum fluminis Parmæ, quæ colitur fertilis est, cum aere saluberrimo: & propè balneum currit canale maius ciuitatis Parmæ, cuius aquę irriguæ beneficio, & herbæ tempore Aestiuo, quando acrioribus solis ardoribus telluris germina desiccantur, & homines magnis solis adustionibus decoquuntur, virescunt, ac arbores quodammodo vltra naturam suā fęlici proceritate luxuriant, prata fęcundantur virentibus herbis, & talis aqua decenter currens per multa loca, continue animalibus potum, ac cibum suggerit; prope domum habitationis balneorum putei Thermalis, per centum passus, in quadam planitie, vbi canale S. Mariæ currit, fabricata fuit ad conspectum balneorum capella quædam, seu potius ecclesiola deuotionis, Beatissimæ Virgini, S. Francisco, & S. Firmo dicata, vt propter maiorem commoditatem ægrotantium aliquando celebretur Missa, ad intercessionem salutis eorū, ac ad gratias reddendas post recuperatam sanitatē, & quotidie qui possunt ambulare preces porrigāt B. Virg. ac alijs Sanctis pro eorum salute. Habet quoque balneum istud Lixiniani propinquum sibi, statim post flumen Parmæ, & in ripa fluminis, Monasterium amplum constructum à supradicto Illustriss. Petro Maria de Rubeis, anno 1471. tempore Sixti Quarti, muro vndique circundatum, in cuius facie adest ecclesia dicata D. Mariæ Virg. ad niues, Monachorum Ordinis S. Benedicti montis Cassinæ, aliàs S. Iustinæ, vt etiam Patauina balnea Apponi vicinum habent Monasterium Pratalliæ; & balneum de Agnano aliud Monasterium. Tenendumque est, atque iudicandum à natura, diuino lumine cooperante, fuisse balnea ista Therm. demōstrata in his locis, ut Reuerendi Patres isti honore, ac commodiate aliqua afficerent ægrotantes, & aliquando hospitio promptè acciperent, cum sint diuites, maxime peregrinos aduenas à longinquo,
qui

qui sanitatis recuperandæ gratia illuc veniunt, vt extollant postea, & publicent charitatem suã, & si aliquid in hac hospitalitate expenderent, quotannis census eius cęlesti remuneratione crescat; possunt etiã sui Fratres, ac Monachi ægrotantes habere maiorem commoditatem vtendi & aqua & luto, prout opus erit. En dulcè Fratrũ obsequium, & præsentium temporum antiqua medicamenta. Conuentus iste ad loci gratiam, & ornatũ festiuis ac circumuicinis campis suis gaudet, vbi sunt pulcherrimæ sationes, latissimi campi, & de amœnis frondibus lætantes aspectum, cum dulci cantu auium: ibi sunt irriguæ aquæ, & viridia prata, ibi aspectus magnus in formam theatri super flumen Parmæ positus, cum viridario pulcherrimo, fructibus & vuis suauissimis temporibus suis pendentibus è pergulis domesticis, vt præmaturis primis nouæ quãprimum possint colligi; adsunt & ficus suauissimi, & flores rorismarini, & cappares copiosissimi: ac si aliquod desideratur aliquando pro alimento, & obsonio quotidiano facile à Langhirano loco mercatili abundantissimo, qualibet septimana in die Lunę emi, & asportari potest ad Monasteriũ; sicut die Iouis à loco Turris Claræ, vbi mercatum est ordinarium, emere quoque faciunt. Habuit nomen puteus Thermalis ac medicatus à villa dicta Lixiniano, quæ collis est amęnus, ac fertilis, in cuius ecclesia sanctificatur S. Michael. hæc de situ & loco vbi reperitur balneum medicatũ dicta sint; cum aqua ista Thermalis tribuerit nomen, (vt creditur) cuidam torrenti sibi vicino, Terminele dicto.

Puteus medicatus (vt dictum fuit) fabricatus, & constructus ex lapidibus arte factis, ne alia aqua propè fluens, ac pluens permisceretur. Et situs est aptus & idoneus ad recipiendam aquam, quæ è porrositatibus terræ collis percolatur, & forsan ex illa cauerna Barboliorum, aut illarũ Ripæ altæ erumpit, & ex illis monticulis, & ipsorum radicibus, per subterraneos ductus, per venas, ac fibras terræ, transcolatur, emanat, & exit; cum non multum distet à radice montis: vnde remanet purgata aqua ista, ac clara, salsa tamen propter viscera terræ salsæ, per quæ excolatur, & eliquatur: vel à vaporibus in se contentis, & virtutes à qualitatibus acceptis diutissimè conseruat, ac vniformis est. Prolabens, ac vniens aqua ista medicata in puteum magnum domus muris optimè circumdatum, hauritur semper tam Hyeme, quã Aestate frigida. Et prima ratio est, quia teneo quòd aqua ista Therm. originem habeat ex illa perẽni voragine Barboliorum, si ergo aqua Barboliorum in suo exitu esset calida, sic aqua putei Lixiniani medic. esset calida aliquo modo, at illa est frigida, ergo aqua putei debet quoque esse frigida: addo quòd efficitur frigida ratione ambientis, vt patet sensui. Secunda ratio est, quia parum sulphuris habet, & ideò solum ignem in imo terræ potest excitare. Tertia, quia radices montis, & collis à duobus fluminibus diluuntur continuè à Parma, & Massidendo, ab alijs vocato Therma, seu Terminela, quæ am

bo calorem à sulphure in visceribus terræ excitatum mirificè refrangere possunt, & sic remanet frigida. Quarta causa potest esse mixtura alterius mineræ cum sulphure, vt aluminis, ac salis tanquam res nota. Quinta causa suæ frigiditatis est calor subterraneus diminutus à suo ortu, propter loci distantiam, & propter longum iter, quod facit, per loca, & saxa frigida, & antequam è terra resideat, continuè exhalant vapores calidi; vt etiam notum est de aqua Aquarij in Ducatu Mutinensi, quæ actu frigida erumpit, & de aqua Agnani in agro Pisano. Similis est etiam aqua, saluti hominum commoda in valle Transcherij, sub oppido Bergomensi, & aqua Ticinensis balnei Returbij, quæ omnes ad tactum, tam Hyeme, quam Aestate frigidæ sunt semper. Neque putandum est aliam aquam potabilem cum aqua putei Lixiniani misceri, diminuereque, vel extinguere calorem suum naturalem: licet prope percurrat canale extractum è flumine Parmæ, perueniens ad S. Mariam de Plano, & aliud ad ciuitatem, vocatum Canale maius, quia non perduraret, neque conseruaretur per annos multos pura, sincera, medicinalis, neque asportaretur in longinquas partes incorrupta, vt sępe sæpius periculum feci de ipsa, & alijs aquis Therm. Mineralia enim optimè mixta sunt in eis, & calore suo, siccando superfluam humiditatem, prohibent putredinem in ipsis: quæ opinio sumitur ab Aristot. 2. Metheor. cap. de salsedine maris, dicente quasdam aquas erumpere frigidas, & esse medicatas, quia calor ipsarum est absumptus, relinquens tamen qualitatem in ipsis medicamentosam: Ex quo loco elicitur, quod aquæ Therm. quæ frigidę in suis fontibus scaturiunt, atque hauriuntur, dum bene seruantur, & custodiuntur, parum, aut nihil à suo naturali statu recedunt, & parum suæ virtutis amittere possunt. Alterum etiam sciendum est, quod aquæ istæ, quia facile non amittunt suam qualitatem acquisitam, possunt procul à sua minera quouis modo administrari, secundum qualitatem morbi: Sed quando desideratur ab ægrotantibus, & opus est copia magna quantitatis aquæ, commodius & semper vtilius est vti eis ad mineram ipsam medicatam. Strabo lib. 5. dicit in Cotiscolijs reperiri fontem medicatum, cuius aqua erat frigida, & quòd ipsa multi vtebantur pro potu, & insessione ad sanandos morbos; è contra Vitruuius lib. 10. cap. 3. facit mentionem de calidis aquis in Sabina ad diuersos morbos. Plin. lib. 31. c. 6. Cornel. Cels. lib. 4. cap. 5. Orib. 10. collect. cap. 5. de mente Herodoti, nominat aquas, quę spontè calidæ, vel frigidæ nascuntur. Conciliator prima partic. probl. nu. 39. apud Fauentiam esse quatuor millia, adesse aquam frigidam, sed salsam, quæ bibitur pro solutione ventris ex Menagho Medico Fauentino: pro quo sciendum, quòd soluit acredine, sed magis quantitate proportionata. Dixit Gal. nono simpl. medic. quod confirmat Orib. vt supra dictum fuit in proęmio seu pręfatione ad longum, facultatem singularum aquarum spontè nascentium assumendam

esse

esse abijs, quæ experientia comprobantur, ob id quæ maiores nostri, & Medici experientia obseruarunt, vt vidi ac legi in quadam scriptura antiqua, quæ dono data fuit ab Illustrissimo supradicto Comite de Rub. auo meo Hieronymo Zuntho, iurisperito honoratissimo sui temporis, & ab alijs lectoribus citato in suis voluminibus, vt à Decio in suis consilijs. Hic fuit ille, qui nomine ciuitatis Parmæ Decretum maioris Magistratus obtinuit à summo Pontif. Paulo Quarto, cum tanta modestia, quod semel locutus erat Deus, promiserat B.P. sed parte comitum aduersa instante perlongabat; Quæ ego quoque ad illorum, & aliorum imitationem sæpe expertus sum, ductus ratione, ac methodo medendi, hic scribere decreui, cum nullus esset Medicorum rationalium, atque seniorum nostræ ciuitatis, dùm eram iuuenis Medicus, qui pro potu, pro stillicidio, ad tollendos, & curandos diuersos morbos tunc vteretur aqua putei medicati de Lixiniano, sed frequenter balneo, & luto, pro vt sæpissime cũ illis data opera allocutus sum: & tamen multæ hodie videntur, ac sentiuntur ex ipsis vtilitates in ægrotis, dum in potu, in balneo, in stillicidio, & alio vsu conuenienti administrantur. Verum quia experientia, vel potest esse fortuita, vel consulta: dico fortuitam ac casu, vt contingit in aqua Brandulæ 1448. ex relatione Fallop. cap. 10. quæ postea per analogiam, atque traductionem, nec non obseruationem compertum est valere ad vesicæ, renum, ac pudendi affectum: consulto, & ratione habetur experientia, qñ tali vel tali ratione, vsu quotidiano comprobatum est, eodem modo administratã valere ad tales vel tales morbos; & sic imitatione, quod semel bis ter ac frequenter conspexerunt veteres, theorema quoddam constitutum est, tãquam habitus quidam aquarũ Therm. medicatarum, vt ex multis experientijs experimenta constituantur, & ex pluribus experimentis atque imitationibus, tota ars aquarum istarum Thermalium Lixiniani constituatur. Multos profectò dolores lenit, ac mitigat, diuersósque corporis affectus tollit, ac sanat; ob id quatuor veniunt principaliter inquirenda de hac aqua Therm. putei Lixiniani.

Primum quæ metalla contineat. Secundum quod metallum in ipsa aqua obtineat principatum. Tertium quæ sit huius aquæ facultas pro varijs morborum occasionibus. Quartum quibus modis possit esse in vsu pro salute ægrotantium. Quod aqua ista putei Lixiniani sit Therm. & habeat virtutes medicamentosas, indicat color, odor, & sapor, deinde ea omnia, quæ per decoctionem, per euaporationem, per elambicationem arte factam conspiciuntur pro vera cognitione; vt fęces ipsius aquæ, cũ fęcibus, & mineris aquarum Therm. comparentur: per annos etiam durat incorrupta, si tamen seruetur in vase optimè obturato. Quo ad primũ minera huius aquæ est sal, alumen rochæ, & sulphur: sed primo continet sal in maiori quantitate, candidum, purum, acre, & sapidissimum, sed tenuius est, vt ex odore, sapore, seu gustu, tactu, coctura, ac arte consi-

ciendi

ciendi ſal elicitur, ac percipitur; cognoſcitur etiam experientia Fallop. cap. 25. ſi ponatur aqua Therm. in vas aliquod ligneum, in quo adſit rimula data opera, per quam aqua ſenſim tota nocte reſudet, mane videbitur in ea rima ac fiſſura ſal concretum eſſe circum circa. Addo ſi ponantur fęces balnei ſupra laminam candentem, quod crepitant ſaltando. Continet ſecundo alumen rochæ in minori quantitate ac portione, vt cognoſcitur ex lutea pinguedine aduſta, in ſuperficie oborta, dum ſeruatur in vaſe, & in rugas collecta, & ſapor adſtringēs in ea percipitur. Tertio continet ſulphuris modicum, quamuis ſulphur ſit ex eo genere metallorum, quæ non benè, ac verè commiſcentur cum aqua, ſed confunduntur ex Fallop. cap. 8. facit enim perpetuò effectus ſulph. calefaciendo, licet aqua ſit frigida actu. Quarto adeſt in ea lapis quidam chalchareus confuſus, qui ſeparatur ab aqua iſta, quando remanet excauata in aliquo vaſe per aliquot dies immobilis, derelinquens ramenta quædam metallorum ſecum mixtorum: vnde redditur aqua putei Lixiniani magis medicamentoſa, & citius deſcendit, atque euacuatur; de qua Gal. 5. ſimpl. medic. 13. Eſt leuis ochra, licet ſit quoddam genus terræ 2. prognoſt. 3[illegible]. ac ſupernatat, at in fundo vaſis materia quædam deſcendit veluti fex, & fimoſum quoddam, quod ſemper eſt reijciendum. Aqua præterea vnctuoſa eſt, cum pinguis ſit, & craſſior alijs circumuicinis puteorum, ex quo oleaginoſum, & pingue bitumen procreatur, ſiue oleum petroleum ſupernatans aquæ, in minima tamen quantitate, ꝙ de facili accenditur & exuritur, ac odore, & ſapore à quouis perſentitur, ac cognoſcitur; cū vapores oſtendant naturam aquæ, ex Ariſt. 4. methe. Separatur tñ facilè hoc oleū, ſi panno laneo, vel lineo craſſiori percolletur aqua, vt balneatores ac alios ſæpe ſæpius admonui, dū in potu ſumatur & ſuauior erit aqua medicata putei. Dictis mineralibus, ſale, alumine, ſulphure, ochra, ac bitumine, (vt nihil taceam,) qualitate, ac quantitate quodāmodo nobis ignota, & ferè indemonſtrabili ſimul optimè in aqua iſta putei medicati mixtis, portione quadā ac ſimmetria contēperatis, reſultat vna noua forma cōplexionalis in ea, & facultas, mirabiles effectus producens, vt non ſolū ab imminentibus morbis præſeruet, ſed à præſentibus liberet; & quia rarò reperiuntur tot mineralia ſimul in aliqua aqua, vel mixta, vel confuſa, hinc fit quòd ibi minus, hic magis producatur talis forma in aqua iuuans, vel expellēs multos morbos. Quæ aqua Therm. medicamentoſa, cum in pauca quantitate, & rarò ſponte è terra erumpat, ac in aliquem locum colligatur, & talis cognoſcatur reſpectu lacuum, & fluminum, veluti gemma à natura, & mente diuina nobis tradita, & oſtenſa venit conſeruanda, extollenda, & magnificanda, inſtar mercis optimæ in diuerſas ac longinquas partes aſportanda, cum vtilitate magna ægrotantium ea vtentium aliquo modo ex ſupradictis vſibus, nec non cum honore Patriæ meæ ciuitatis Parmæ. Neque admire-

tur aliquis, hanc aquam medicamentosam frigidam actu colligi, vniri, ac hauriri à puteo dicto, lapidibus factitijs arte fabricato, nam ex Baccio in Hispania, in Germania, in Heluetijs, in Corsica, & alibi reperiuntur multæ aquæ actu frigidæ, & tamen sunt medicamentosæ. In valle quoque Rhetinorum adest puteus aquæ Thermalis; alibi quoque repe riuntur putei aquæ frigidæ, sed Therm. ac medicamentosæ, quæ cum Vitruuio lib. 10. Castello, seu machina lignea, vbi grauius præmitur altius surgit, & more Teutonicorum suopte motu ac ductu haustæ, & excauatæ ex ipso puteo, in magnum lebetem, & vas huic accommodatum propè cadunt, & sæpe in ipsum vas ibique calefactæ modo magis, modo minus pro suo cuiusq; vsu ac arbitrio, vel pro balneo, vel pro stillicidio, ad tollendos & curandos diuersos morbos à balneatoribus administrantur. Aqua balnei Agnani est quoque summe frigida: natura huius nostræ aquæ Lixiniani est calefacere, & exsiccare potentia. Siquidem metalla naturaliter tantum gradum impertiuntur aquæ, quantum in se habent, vnde est calida in principio secundi gradus, sicca in principio tertij, ratione copiosi salis; quare siccat, plusquam calefaciat, & roborat ratione adstrictionis, quæ est in sale, ac alumine; ita vt membra laxa reuocet in suam naturam, absque aliarum partium læsione. Detergit etiã, & euacuat abundantiam humoris pituitosi, non solum à vicinis partibus, sed etiam serosos humores mixtos ac varios à remotis venis tollit: & post euacuationẽ adstringit ratione aluminis, vt facit aqua Tetutij, iuxta illud 4. de tuenda 4. qui quotannis aqua medicamentosa, Vere, & Autumno solent se purgare. Cauendum est tamen in aliquibus casibus, quomodo administretur, quia hæc aqua Lixiniani calido naturaliter capiti, iuxta doctrinam Gal. 6. de tuenda 9. est inimicissima, sicut & febrientibus, aridis, & extenuatis. Durante tempore pluuioso sunt inutiles in alijs personis, vt dilutæ, & contaminatæ pluuijs per uenas & cauitates terræ. At ineunte calore, qui humiditates valet absumere, commodæ sunt aquæ omnes medicamentosæ, & bibuntur, ac alijs modis sunt in vsu: (vt dicetur) hinc est quod aquæ veteres sæpe sæpius sunt meliores nouis, ac citius transeunt, vt supra dictum fuit. Aquæ ergo putei Lixiniani vsus multiplex esse potest, pro diuersis languoribus expugnandis, cum fructu eximio, vt in potu, balneo, stillicidio, fomento, clysteribus, stufa, pro parandis emplastris, ac alijs modis, vt mirum esse non debeat alicui, si antiquitus fuerit experta, & in vsu apud Romanos dictos, cum tot modis, ac alijs iuuet corpus humanum præcipue; sed aliquando brutorum, non solum simplex, sed mixta aliquando cũ alijs aquis Therm. prout opus erit. Ars generalia præcepta affert, at singuli morbi singula rem, & exquisitam curationem postulant; & quia transitus de re simili ad similem, dum in se ipso, & rationaliter consideratur, est iter ad experimentum iudicatorium possibilitatis alicuius rei, ad tollendos, & curandos

randos morbos, vt vsu postea longo similium actionum certitudo habeatur, ac perficiatur; ita similitudo nostræ aquæ putei Lixignani ad alteram aquam Therm. medicamentosam in aliquo minerali, erit maior, vel minor in virtute. Sic spes magna cum ratione erit habenda à probatissimis viris, profuturam esse diuersis morbis, & affectibus, prout historiæ ac relationes protulerunt. Et cum odore ac sapore conueniat, & assimiletur in parte & secundum partem cum aqua Aquarij, Apponi, Tetutij, Balneoli, Porretæ, Corsenæ, Trascurianæ, & simil. valebit etiam omnibus morbis, & affectibus, quibus istæ conueniunt, & sunt in vsu, ac cõmuniter sunt proficuæ ad diuersos morbos arte medica debellãdos. Benè verum est quòd hæ aquæ inter se multum differunt, per magis, ac minus & secundum quod vnum metallum magis, vel minus superat aliud, contrahens in se naturam suam. Neque in contrarium (pro ut teneo, subijciens me semper saniori, ac veriori iudicio) potest adduci aliqua ratio, si vna ex dictis aquis contineat in tali, vel tali quantitate sal, alumen, sulphur, valeatque iuuare experientia quotidiana, confirmata ratione ab omni collegio Medicorum, alicui morbo, & affectui particulari: quòd etiam ista de Lixiniano continens eadem metalla, vel in minori, vel in maiori, aut simili portione, non valeat iuuare, comparatiuè tamen, & respectiuè semper iisdem morbis, & affectibus, quibus & vna illarum aquarum Therm. vt spes prosperi euentus augeatur, si omnium dictorum metallorum, & aliorum virtutem exactè spectemus. Stante ergo facultate ipsius aquæ putei Lixiniani, calefaciendi, ac siccandi, sciendum cum Gal. 1. de simpl. medic. facult. cap. 6. omnes aquas continentes sal, alumen, nitrum, bitumen, & similia inimicas esse calidis affectibus corporis nostri; ob id caueant ab eius potu præcipue, qui sunt temperamento calidi ac sicci, & quo ad hepar & quo ad caput, nisi vtantur corrigentibus vt suprà, de sympt. adnotatis. Euacuat, excurrendo per totum corpus ex accidenti, & propter suam salsedinem, irritando expulsionem ad motum, valde soluit, vt aqua Tetutij vsitatissima vbique, & aqua montis Catini, Porretæ, de Spà, ac sim. Quinimmo hæc Lixiniani debita quantitate sumpta à lib. 6. vsque ad 10. respectu ad sumentem, ita euacuat communia excrementa, non solum intestinorum, ac primarum venarum, sed detergit ventriculum, & intestina à materia viscida, crassa, ac pituitosa, quantitate peccante, eaque membra, facta tali euacuatione, corroborat ac mirificè confirmat, prohibendoque nouam eorundem excrementorum collectionem, corrigit frigidam iecoris intemperiem, & emendat cachexiam, tollit & extenuat vniuersalem hydropem totius corporis, quam leucophlegmatiã vocant, siue hyposarcham, non tamen omnino & per multos annos cõfirmatam; viscera enim principalia corroborat, ac flatus discutit manifestè. Conducit quoque ad hydropem particularẽ solius ventris à principio. Actuarius lib. 3. methodi

med.

med.cap.10.inquit, Balnea, quæ sponte nascuntur, magna ex parte medicamenti rationem habent, cum sulphur, nitrum, aut similem quampiam facultatem sapiant, semper exsiccant, calfaciuntque. idẽ Paul. lib. 1. cap. 52. Quare ijs, qui aqua intercute laborant, aut malo sunt habitu, & quos humor quispiam excrementitius molestat, conferre censentur, dũmodo non sit valde antiquus morbus, ac confirmatus, & alia ex ratione morbi seruata sint. Dum ergo continetur materia copiosa in abdomine, aqua Lixiniani eam expellit, educit, expurgat, vt constat relatione antiquorum & veterum ibi habitantium, corroboratque deinde partes. Et ego oretenus audiui ab Amidano de Amidanis Conciue nostro, se puerum 12. annorum, iussu Delphini Medici Parmensis, potasse aquam Lixignani per aliquot dies, & euasisse ab hydropico morbo. Sic testari possum, me plures hydropicos curasse hac aqua; & inter alios vnum Ascite correptum tunc multis notum, annorum 31. qui mendicans curru per ciuitatem, victum lucrandi causa, ducebatur. Motus non solũ scriptura quadam Petri de Lixiniano Physici, qui de hoc balneo primus scripsit; sed magis Gal. auctorit. 1. simpl. medic. facul. 7. quando dicit tumore aquæ inter cutem laborantibus aduersissimum est poculum, & lauacrum aquæ dulcis, salsæ uerò ac nitrosæ, sulphureæ, & bituminosæ omnes sunt perutiles: & 1. simplic. dicit in Alexandria multos vti luto medicato, qui laborant aqua intercutem. Idem Aetius confirmat Tetrab. 1. serm. 3. cap. 37. dum homines illius loci, ac circumuicini communitet ad curandos hydropicos utuntur tali aqua, cum euacuet feliciter corpus, tenentque præstantissimum esse remedium ad omnem cachexiam atque hydropisim, non solum si bibatur, sed etiam in clysteribus, modo parentur decocto cum sol: vel radicibus ebuli, & cucumeris asinini. Verum postquam consideraui, quod totalis intentio Medici in curatione hydropis ascitis, est euacuare aquam ipsam redundantem in abdomine, & omnes Medici in eius eductione quamplurimum laborant diuersis remedijs, ratio ostendit, & confirmat experientia, vt de potu aquarum salsarum, nitrosarum, & sulphurearum sentiamus cum Trincauella lib. 5. sect. 2. cap. 12. quando timemus valde, ne earum transitus ad vias vrinæ impediatur, aut propter aliquas obstructiones & multas, aut propter debilitatem facultatis expultricis difficilis futurus sit exitus bonus, consultius est ab eis abstinere, ne augeatur morbus, addendo aquam aquæ, & vires ex nimio onere aquæ succũbant; plus enim copia aquæ, quę bibitur, nocet, quam propria sua qualitate prosit; quare in confirmata hydropisi, quæ præcipue cognoscitur sonitu aquæ natantis in ventre, ab vsu potationis aquæ Lixiniani, ac similibus omnino abstinerem, aut cum timore quodam, protestãdo sem per periculum, exhiberem. Quamuis vt supra dixi, viderim hydropicum illum ductũ sanatum perfectè fuisse ex potu aquæ Lixiniani, qui postea

per tres annos vixit sanus, & obijt anno 1590. quando morbus ille periculosus tanquam bellua per totam Italiam furebat, multos interficiens, nullisque parcens ætatibus. Insuper corpora quæ febribus sunt subiecta ab earum potione abstinere debent, facile enim in eas incurrerent; & ideo bono consilio semper Medici in arte experti administrentur, propter illud quod suprà dictum fuit cum Gal. 1. simpl. medic. cap. 6.

His habitis nunc exactius examinemus omnes virtutes, & facultates particulares aquæ Therm. huius Putei de Lixiniano. Et à membris particularibus incipientes, cum possit, & per interius potu administrari, & per exterius balneo, stillicidio, & alijs diuersis modis, omisso quod communiter omnibus ægritudinibus frigidis, & humidis iuuare valeat, dicimus guttam, siue stillicidium ab alto supra commissuram coronalem factam, abraso prius loco, tollere capitis intemperiem frigidam, & humidam, calefaciendo, siccando, discutiendo, ipsumq; corroborato ac opitulari dolori antiquo capitis, & per essentiam facto. Sic confert epilepsiæ genitæ ex ipsa cerebri intéperie frigida, & humida. Similiter succurrit vertigini, dum intemperies est in capite, secùs si à stomacho, quia tali loco erit administranda. Surdos à principio morbi sanat, sicut balneũ de Corsena, Apponitana, ac Tetutiana, præsente intemp. frigida & humida. Tinnitui aurium, sibillo non antiquo, & confirmato opitulatur. Remouet fœtorem oris, nasi, dummodo non sit à morbo Gallico nouo, vel ab vlcere aliquo in partibus internis antiquo, abluendo partes ipsas. Quamuis etiam conferat vlceribus vniuersaliter, mundificando ea, si per exterius administretur ex arte, vt fit Patauij: vnde aliquando gũmata ex morbo Gallico à balneo & stillicidio huius aquæ per 30. dies parato diminuuntur, & vlcera gallica ablutione frequentata siccantur; sed Tabes gallica nunquam tollitur, sed solum decoctione ligni, salsæ, chinæ, & alijs bezaarticis morbi gallici; sic sympt. tantum curantur, vt vlcera callosa, antiqua squamosa non cedentia medicamentis communibus, modo non sint cum inflammatione, vt possint detineri in aqua Therm. tepida per 2. aut 3. horas singulo die cum Fallop. cap. de vlcerib. Chironiis antiquis, quẽ sequitur Aquapendens in sua Chirurgia, & ego obseruaui Patauij in balneo magno Apponi. Multa quotidie in conspectum veniunt, quæ abscondi videbantur. Ob id paratur stillicidiũ ex ipsa aqua maximo iuuamento ad principium spinalis medullæ, in nucha, vel ad alias partes dorsi, quando aliquæ partes neruosæ corporis sunt laxæ, dolorosę, spasmosę, retractæ, & quasi resolutæ ex iam dicta, & sæpe repetita frigida, & humida intemp. Calefaciendo enim & siccando resoluit humores peccantes, roboratque dictas partes; iuxta illud Gal. 1. de loc. aff. 6. & 3. lib. cap. 10. qui è curru ceciderat, & 5. de loc. vlt. Tumores ex luxatione ossium, ex percussione, vel fractura, à gutta, à luto, à fomentatione, à balneo, summam vtilitatem percipiunt. Feruminant

enim

enim & fracturas & ossa contracta ex Plinio: vnde Petrus ille de Lixignano physicus compilans tractatum quendã de virtutibus aquæ Ther. huius putei, ex vsu frequentiori, experientia sæpe confirmato refert sanare balneum omnes dolores iuncturarum, ischiadis, podagricos, etiam antiquos, à causa tamen materiali frigida & crassa, iuxta doctrinam Celij Aurel. 2. Tard. pass. cap. 1. 4. eiusdem 8. & 5. lib. cap. 2. quibus in locis docet, quòd aquarum Therm. calidarum, vt sunt in Italia, vsus repetitus podagricis, & arthriticis, alijs integram sanitatem, alijs raram doloris diminutionem dabit, si in ipsis infundantur, aut stillicidio vtantur secundum artem. idem Auic. lib. 2. T. 2. cap. 59. Exhauritur enim materia peccans ab articulis, eaque digeritur, atque corrigitur. Narrat tres historias Petrus de Lixiniano supradictus, Medicus ex numero Collegij Parmen. Prima est cuiusdã filij magistri Ioannis Martini Garbatii ex numero quoque artium, & Medicinæ Doctorum, quando Studium Parmense secundò viguit anno 1415. vt legitur in statutis dictorum Medicorum in lib. 3. chronicarum Parmæ, de licentia Summi Pontif. Ioannis XXIII. & Illustrissimi Principis Nicolai Estensis, vt confirmat Vgo Senensis per hæc verba. Et si videam Illustriss. Princeps Nicolao Estensis Marchio Ferrariæ lib. Gal. Microtechni, ad cuius lecturã deputatus sum, in almo studio per te in ciuitate tua Parmæ condito, quod repetit in proœmio lecturæ aphor. licet postea Illustrissimus Marchio reliquerit ciuitatem 1419. ac eam dederit & concesserit Illust. Philippo Mariæ Visconti Duci Mediolani: & deinde ipsa ciuitas Parmæ, vt temporum conditio tulit, modo vni, modo alteri Domino fuerit subiecta, & dominata, nihilominus studium ipsum antiquissimum non solum à Summis Pontif. fuit confirmatum, sed priuilegijs auctum, cum Summus Pontifex Iulius Secundus anno 1512. concesserit oratoribus Parmensibus, qui sument insignia Doctoratus in hac ciuitate, gaudeant illis priuilegijs quibus gaudent alij graduati in ciuitatibus aliarum vniuersitatum, in quibus vigent studia. idem confirmauit Leo X. 1514. Clemens VII. anno 1524. & Paulus III. anno 1535. vt in Bullario ciuitatis Parmæ notum est, ac nuperrime anno 1601. tàm magnifice gymnasium instauratum fuit hortatu Serenis. Ducis Ranutij Farnesij, quẽ D. O. M. longo tempore conseruet nobis fœlicem, ac prosperum, vt nihil amplius pro quiete, pro adipiscenda doctrina, à quouis iuuene studioso bonarum litterarum desiderari debeat. Ad rem modò nostram reuertens filius dicti Ioannis Martini Garbatij, iam quatuor annis elapsis. erat totaliter destitutus, & sine aliquo auxilio, ac spe recuperandæ sanitatis, & in omnibus iuncturis apparebant nodositates, ac tumores, cui per 20. dies ex arte fecit balneum de ista aqua putei Lixignani calidum, & euasit liber, ac perfectè sanatus. Secunda historia fuit egregij viri Gabrielis Vgo Rubei, qui erat senex, & absque motu manuum ac pedum

ex podagra, & ex balneo huius aquæ calido fuit quoque sanatus. Tertiã fuit Stamignoni, magni, & strenui militis, sed tũc podagrici. Hic miles anteponebat balneum Lixignani alijs similibus, propter virtutem suam in recuperatione sanitatis amissæ: & postea alij similes sanati sunt, ac quotidie nostris temporibus sanantur multi podagrici, & ischiadici, vel saltem meliorantur, qui & debito tempore & numero dierum conuenienti ipsis balneis vtuntur secundum artem, & prout exigit morbus eorum.

Supradictas historias, atque curationes, & tumorum, & dolorum iuncturarum confirmat quodãmodo Franciscus Maria Grapaldus Poeta laureatus Parmensis anno 1400. lib. 1. de partibus Aedium cap. 10. his „ verbis. Fuere in multis Italiæ locis, & extra Italiã balnea, quæ aquis me „ dicatis morbos curabant, quemadmodum Puteolis in Etruria, vt scribit „ Varro. in Sinuessa, quibus Narcisus Claudij Cæsaris libertus olim mor „ bo leuatus est, vt refert Tacitus; nam multis ægritudinibus medeban „ tur authore Strabone: Item in villa, quam Cicero Academiam appella- „ uit, Ciceronianæ aquæ oculis, & iuxta vrbem Albulę vulneribus pluri „ mum conferentes. Expertus sum ipse hac proxima Aestate Lixiniani pa „ gi Parmensis balnea, quorum vnda salutari intra pauculos dies vegetus „ exurgens, ex acerrimo iuncturarum dolore conualui. Testis est Bartho- „ lomęus Anselmus Medicorum optimus, optimorum Archiatrus, cui me „ tantum debere fateor, quantum Aesculapio, viribus ex Hippolyto refor „ matus. vigent hac tempestate alia complurima balnea ex aquis medi- „ catis, lutum etiam, ex quo ad vlcera in primis lutamenta commendan „ tur, de quibus, quoniam superfluum videtur, scribere supersedi. Hæc Grapalda de balneis Lixiniani medicamẽtosis, eorumque virtute typis mandauit. Confert quoque insessio, siue balneum aquæ putei medicati pulmoni ab humiditate violato, viuificando calorem naturalem, & absumendo humiditatem non solum potu ipsius, sed insessione: vnde Asthmatici, & stricti pectore iuuantur. Hæc aqua, siue in potu cum Gal. 7. Meth. 4. siue gutta cum Modernis, siue in balneo, vt communiter fit, roborat, & fortificat ventriculi partes relaxatas, & tollit omnes ventriculi affectus, causatos à frigiditate, & humiditate, exsiccando, & calefaciendo ventriculum, ex quo totum corpus reficitur, propter bonam coctionem, causatam ac introductam, & appetentiam recuperatam, & auctam. Siqúe dolor aliquando à flatibus in ipso ventriculo generatur, stillicidio tollitur, ac curatur, non tamen dum actu affligit, vt sæpe expertus sum, vermes interficit & expellit, siue sint in ventriculo, siue in intestinis. Discutit ebibita lienis tumores. Hepatis intemperiem frigidam tollit, vt abundantius dictum fuit supra. Obstructiones ipsius aperit, flatus discutit, vnde dolores intestinorum, renũ, colicosq; cruciatus inde natos mitigat, & in potu, & in clysteribus administrata cũ Auic. & Alex. Trall. cui si cyminum, vel anisum, fęniculum, aut bacchæ lauri

bullie-

bullierint, pro vsu clysterium fortius, & citius erit Medicamentum. huic etiã confert balneum,plusq; tepidum : Obstructos renes à pituita mũdat per vrinã, si bibatur,& educit arenulas,nec non vesicam mundat à viscositate, seu à materia pituitosa,quæ sæpe est causa calculorum. Viscera etiam renum, ac vesicæ sanat, dummodo non adsit, vel non superueniat inflammatio. Corrigit quoque resolutionem musculorum vesicæ in illis, qui non possunt retinere vrinam præ humiditate, ac frigiditate, calefaciendo, exsiccando, ac roborando partes læsas, tam in potu, quam in balneo, seu dicas insessione. Dolores intestinorum,& affectus dysentericos, tum in potu sumpta, tum in clystcribus iniecta, mirè sanat, velut illa de Tetutio cum Iachino,quia peruenit ad locos affectos, vt in pueris, cum Fallop. cap. 11.duorum annorum possit administrari,ac est remedium valde præstans, & laudandum. Cum enim causa dysenteriæ sint humores mordaces,qui vel generant vlcera in intestinis, paulatim ea abradentes, vel ipsa vlcera fouent, & hi per inferiora sunt purgandi medicamentis clementer purgantibus:deinde cum vlcera detergentibus, exsiccantibus, ac adstringentibus opus habeant,aqua ista Lixiniani sordes intestinorum efficaciter abluit,ac detergit, & quamcunque putredinem prohibet, partes affectas ob vim salis siccat, consolidat, & circa easdem vel cicatricem inducit,vel illas aptissimas reddit, vt possint resistere, sic fluxus fluxu tollitur; vnde Hippocr.dicebat lib.de loc. in homine nu.51. propter similia morbi gignuntur, & propter porrecta medicamenta similia morbi sanantur. Imbecillitati iecinoris opitulatur, iuxtà Gal. doctrinam 4. de artic.40. vbi loquitur de dysenteria: Neque hoc repugnat Auic.lib.3.fen 16.T.2.cap.7. quãdo dicit, Et si fuerit necessaria euacuatio propter malitiam humorum, fac eam cum timore. & cautella. Laudat tamen Auic. Rhabarbarum, cum in eo insit proprietas mirabilis in vlceribus intestinorum; & sic, vt causa noxia materialis peccans citissimè tollatur, purgatio & solutio ventris conuenit, nam fluxum fluxu curandum præcipit Auic.4. primi cap.3. & hoc modo iuuat aqua Lixiniani, principaliter incitando, & euigilando virtutem expulsiuam intestinorum. Secundo quia reddit aqua ista partes intestinorum violatas firmas, & magis robustas, corroborando, ac adstringendo retentiuam relaxatam ipsorum; nam remouet humiditatem,quæ potest facere ventrem fluxibilem,ac lubricum, sicque vlcus sanatur, quod docuit Hip.lib. de Aere, aquis & loc. nu.15. per hæc verba, Quorum ventres molles, humidi, ac pituitosi sunt, his durissimæ, ac subsalsæ aquæ conferunt: Sic enim maxime resiccare poterunt, quod confirmat Auic. fen 2.primi summa prima doctr.2. cap.16. Vnde Petrus de Lixignano memoratus dicit in suo Tract. fluxum intestinalem antiquum sanare, sicut experientia vidit pluries, & præsertim in duobus de Colurnio, ac etiam in aliquibus infirmis in villa Lixignani, quod supra annotatũ fuit c.12. & 13.

& 13. ad mentem Medicorum Etruscorum ex Fallopio de aqua Tetutij, & ego nuperrimè habui mulierem, quæ laborabat fluxu hepatico per multos menses, cui exhibui aquam medicatam Lixiniani per multos dies, donec videbatur melius se habere, cessauit per aliquot dies à potu, & mihi narrauit, ac alijs, quòd dum bibebat illam aquam, benè se habebat respectiuè; vnde cepit iterum in mane loco syrupi bibere vncias decem huius aquæ Lixiniani, & perfectè conualuit. Hinc & alias admirandas virtutes harum nostrarum aquarum quotidie videmus in mulieribus hystericis; nam abortum prohibent, abstergendo cotylidones, ac siccando lentores illos superfluos, & vteri mollitiem, ob redundantiam humorum pituitosorum in ventriculo, vel intestinis; pariter illas partes calefaciendo per consensum; quamuis cum Fallop. & melius certè, cap. 11. potius aquæ istæ in vterum sint inijciendæ, aut per insessionem, aut per vapores vtendum, deopilant matricem, & eam corroborant; sic fœcundæ redduntur mulieres. Quod expertus sum fœliciter in mea vxore, quæ de facili abortiebat ob vteri mollitiem, ac flatus, qui in corpore generabantur, à cuius potu per duos annos cum aqua Aquarij temporibus debitis, & alijs ex arte factis, optimè postea ac fœliciter gestauit filios mensibus debitis, vt notum fuit multis Medicis, pro quo gratias ago Deo O. M. Vteri etiam profluuium album cohibet, tum quia euacuat venas ipsius, tum etiam, quia remouet intemperiem frigidam, & humidam ipsum violantem, & pro hoc morbo Mercurialis cap. proprio laudat aquam Apponitanam, vel Porretæ: quo in loco sciendũ, sicut Vidus Vidius Medicus honoratiss. lib. 11. cap. 29. morborum particularium, quem alij sequuntur, laudat potum aquæ Tetutianæ alternis diebus, & die quo non bibitur aqua, iubet parari clyster ex eadem aqua oleo camom. & hiera mixto. Simile poterit fieri de hac aqua Lixiniani ac similibus, & conferent dicto morbo mulieribus infestissimo. Aqua prætęrea ista, ratione aluminis, superfluitatem menstruorum currere non permittit, neque expuere sanguinem, atque hæmorrhoides nimium fluentes confortando aliquando compescit, vlcera cutis antiqua, pruritum, scabiem, herpetes aliquos contumaces, ac sanatu difficiles, si sunt absque inflammatione, sanat per insessionem, vt supra dictum fuit cum Fallop. & Aquapendente. Vnum tamen prætęrire nolo, quod aqua ista Lixiniani summopere opitulatur tumoribus strũmarum, siue nodorum, & glandularum, à materia pituitosa, crassa, redundante in corpore, siccando, & resoluendo eam; & moueor hoc dicere authoritate Vitruuij lib. 8. cap. 3. quod aquæ Therm. ratione nitri ac aluminis erant in vsu ad euacuanda corpora, & per aluum transeuntes tumores strummarum minuebant, quod videtur confirmare Aetius T. 4. serm. 3. cap. 5. quando loquitur de strũmis, dicens, Aluum facile solubilẽ habere oportet, sed longè clarius T. 3. serm. 4. cap. 33. loquendo de cura & purgatione

tione

tione eorum, qui ob influxum pituitæ ægrotant, inquit, Familiarior via, & minus periculosa purgatio pituitæ est per intestina, siue morbus sit iuxtà manus, siue iuxta pedes, & multo magis iuxta omnes articulos corporis fluxus fuerit dispersus. Auic. 1. 1. dicit quòd radix curationis, in qua habetur fiducia, est euacuatio. & Ras. 13. contin. inquit, Vidi non esse vtilius in exterminatione scrophularum, sicut laxationem frequentem. Arnaldus Vilan. lib. 2. cap. 5. intentio in strumis est, vt materia crassa viscosa educatur, & ita purgetur, vt quasi incurrat dysenteriam: Sed quale remedium facilius ac opportunius est, quàm quod euacuat calefaciendo, & detergendo pituitam peccantem, & quod etiam valeat curare dysenteriam, roborando intestina, quale aqua ista Lixiniani, Tetutij, & similes. Hoc cognouit Tagaultius Chirurgus insignis lib. 1. c. 13. volens quòd aquæ minerales, præsertim aluminosæ, aut sulphureæ, non solum internos hosce strumosos, ac pituitosos abscessus, sed externos, quoque summam corporis partem occupantes, imminuant, ac discutiāt, non solum lotione loci, sed balneo, luti applicatione, si ex arte facta vniuersali purgatione administretur; detergunt hæ aquæ, exsiccant, iuuant ad generationem carnis, & ad cicatrizationem: liceat mihi dicere quod balnea nostra Lixiniani in insessione, in fomentatione, in stillicidio habeant virtutem dissoluendi, & tumores frigidos, & gummata circa articulos, vt suprà quoque adnotaui; incorrupta hæc aqua ad longum tempus seruatur, si sincera colligitur, vt omnes aquæ Therm. & vt omni culpa, ac nota careat, propter oleum petroleum, licet minimum, siue bitumen liquidum, quod in ipsa aqua supernatat, ac colligitur, sicque effugiat omnem sensum olei, oportet (vt supra etiam dixi) cum extracta est aqua puteo, vel panno lineo, vel laneo optime eam percolare, imitando Gal. 1. simpl. medic. 4. de aqua Nili. Et si seruatur in uasis absque percolatione, relinquit quandam fęcem in fundo vasis, vt faciunt omnes aquæ similes; atque si non agitatur, apparebit supra eam quædam lutea materia, concreta similis ochræ, quæ abijcienda est, sicque facilius, ac citius eam reddet æger, ac maiori vtilitate roborabuntur partes lesæ. Et quamuis hæc aqua sit salsa, non excedit tamen salsedo, immo ab aliquibus vix percipitur; Sed quid pluribus in hoc loco versor? & balnea ista oculis inspicio? considerans, vera sint nec ne quæ animo concepi, postquam stillicidio, ac luto vtor pro fractura rotulæ mei genu dextri, dico quòd aqua putei Lixiniani, & lutum ipsius possunt asportari tutò ac vtiliter in quascunque terras, ad vsumque Medicinæ administrari, aqua in potu, per balneum, in solio, in tinnaculo domi, & ad vsum commodiorem ac vtiliorem ponere ad sudorem prouocandum vaporibus calidis, & humētibus, qui ex calderio dictę aquæ pleno eleuantur in aliquem locū vacuum, arte fabricatum, dum aqua feruet; sicque sudatorij locus erit vel particulariter domi, vase aqua pleno, calida tamen, & pauilione cooperto.

perto.

perto: Stillicidio quoque in loco clauſo, nè ab aere patiens offendatur: luto in aliquibus ad feneſtras lucente ſole, vel calore ignis, aut ipſo luto calefacto balneo Mariæ, vt dictum fuit. Vtendi tempus congruum ſecundum omnem vſum ſunt quatuor menſes, à medio Maij vſque ad medium Septembris, & aliquando vltrà; Aer enim his temporibus eſt magis temperatus. Alijs quoque temporibus, coacta cura, poterit adminiſtrari, vt in doloribus colicis, in dyſenteria, clyſteribus, inſeſſionibus, fomentationibus, vt ſæpe, & tutò expertus ſum, dummodo ex vſu artis adminiſtrentur, vt affectus prętet naturam cauſæ morbi, & ægrotantis temperamentum ſuadent, ſitque aqua prius conſeruata in vaſis; & licet antiquitus non eſſet domus & habitatio ita bona, & apta cum vtenſilibus, ac vaſis, pro commoditate hoſpitum, & indigentium hac aqua Therm. ad aliquem vſum, quę forſan fuit cauſa vt à multis balneum eſſet aſpernabile, nihilominus nunc multæ commoditates in ipſo balneo fuerunt additæ, vt vaſa lignea oblonga ad ſtaturam hominis, & in figura concharum, & tinaculorum, quæ variis in locis opportunis poſſunt accommodari, diligentia miniſtrorum, qui tempeſtiuè, ac commodè inſeruiunt ægrotantibus, vt varium poſtulat remedium, diuerſa qualitas paſſionum. Domus antiqua reſtaurata ac renouata fuit, & ad delitias pro aſſiſtentibus, & ad vſum medicinalem pro patientibus. Conſtructi ſunt loci ſeparati pro mulieribus, ac viris, cum pudor non patiatur vtrumque ſexum ſimul balneari; ſic diuerſi aquarum ductus pro gutta parantur artificialiter, & quotieſcunque expediēt variæ aquarum caliditates poſſunt parari, vt guttæ aliæ ſint placidæ, aliæ vehementes, & quotidie aliquod additur. Balneum huius aquæ prærogatiuam habet ad imbecillitatem neruorum, à fluxu materiæ frigidæ, & humidæ, à tophis, à tumoribus, à gummatibus, ad calefaciendos rigidos artus, & iuuandos relaxatos articulos, vel ad emolliendos induratos neruos, ac contractos in iuncturis, ex vulnere, contuſione, vlcere, non autem ad contractos ex ſiccitate, vt continue notorium eſt, ex frequentia ægrotantium hinc inde, qui ſentiunt iuuamentum ex vſu diuerſo conuenienti, ac proportionato illis, maxime ſi per duos annos, temporibus, & diebus debitis aſſiſtant; vt quamplurimi milites qui in bello Belgarum offenſi, maxima vtilitate ſunt experti; & recordor audiuiſſe de alijs militibus in bello Senenſi, & alijs caſibus, quibus aliquando conſului: & ſicut gutta aquæ non cauat lapidem, ſed plures ac proportionatę, & continuatę, ſic etiam in caſibus dictis conuenit vti hac aqua vel ſimili, temporibus debitis, & continuatis pluribus diebus, ac ad menſem, non ad 8. vel 10. dies; vt multi malè dicunt, ac credunt; hinc fit quòd non liberantur, ſed ſanè meliorantur, & ſi continuarent, vt ſit in aliis balneis, proculdubio ſanarentur. Sanitas enim non debet parcere impenſæ, dum vſus exigit: & ſi hic eſſet pro pauperibus hoſpitale, vt in aliquibus bal-

neis

neis extat, vel saltem habitatio gratis data pauperibus, fama balnei ad exteras ac longinquas nationes perueniret, quod esset multi honoris, pro veritate virtutis balnei.

De cœnoso putei Lixiniani sedimento, & de fouea, in qua colligitur lutum medicatum. Cap. XXXI.

EXTRA domum putei aquæ medicamentosæ, in quadam planitie adest fouea quædam naturalis, lapidibus tamen postea manufacta, fabricata, & ornata, in qua quædam aqua aliquando copiose scaturiebat bulotibus magnis; & in ea aderat lutum medicamentosum, quod in quantitate colligebatur ad diuersos affectus, & morbos fugandos: sed vetustate, ob longitudinem temporis, ob strages communes, & ob paucam curam, lutum istud redditum est malum, ac inutile, propter aquam pluuialem, quæ percolans ac fluens ex alijs locis altioribus secum permiscetur; & ideo in vsu fuerat positum ac redactum in hoc loco Thermali cœnosum aquarum putei sedimentum, quod colligitur, dum quotannis in Vere expurgatur puteus, conseruaturque in cella vinaria domus balnei, vbi adest fouea reparata ex lateribus ac calce, vt cótinuè aqua fluere possit per riuulos quosdam subterraneos arte quadam factos excolationis putei, quando aqua ipsa excedit, & superat, brachia 10. altitudinis, quæ continuè sunt in puteo, & facit aqua istius foueæ circum circa muratæ bulores, & crepitus quosdam sonoros, & semper potest & ipsa extra fluere per alios ductus decliuiores manufactos. At hic est sciendum, si aqua foueæ domus in cella vinaria hautiatur, ac diminuatur per brachium, & aliquando plus, quod in vno latere foueæ muratæ desupiùs fluit bitumen liquidum in magna quantitate oleo simile, crassum, vt oculatim vidi ac habui ad vncias quinque à balneatore, qui mihi retulit, se intellexisse, quod aliàs ab hac fouea, antequam fuisset reparata, pluribus tamen vicibus colligebantur quotannis plus centum libræ olei similis petrolei, crassi tamen, vt magis credam esse bitumen liquidum. Modò cœnosum putei sedimentum pingue est, lene, molle, nigricans, bituminosos vapores, & sulphureos redolens: quinimmo habet in se substantiam sulphuris, vt ex dissolutione cognoscitur, nã si imponatur supra carbones accensos, nihil aliud persentitur, quã odor sulph. & aliquando accenditur: locus ille extra domum, lacuna in quam, siue fouea, licet muris sit circumdata, debet nunc restaurari ac reparari; & tegulis cooperiri, sicut videtur, & notum est de multis alijs balneis Thermalibus, vt denuò posset colligi lutum bonum, & vtile, nã aqua ibi quoque erumpit bulotibus magnis, ac oleum quoddam pingue supernatat manifestè ex illa minera, quod colligitur ad vsum ægro-

tentium; quinimmo est ita pingue, & oleosum cœnum, vt ex ipso aliquando, & tempore sicco exprimatur oleum, petroleum, crassum, quod est proficuum valde ad morbos neruorum: si post, vel fomentationem, vel dacciam, vel lutum oleo ipso calido inungatur locus affectus, ac deinde quiescat patiens per aliquot horas, & teneat locum calidum: & ita obseruatur à balneatore, quando habet copiam dicti olei pinguis, vel dicas bituminis liquidi, cuius loco possumus vti aliquibus oleis magistralibus, seu vnguentis supra memoratis. Sed vnum considerandum hic præterire nolo, vt alios excitem ad maiorem considerationem veritatis, cum aqua putei medicati scaturiat, & ascendat ad certam vsque altitudinem, quæ non supra ascendit in hoc vel illo loco, atque hausta aqua à puteo in magna quantitate cito, subit alia aqua vice eius, donec altitudinem ac mensuram suam attigerit; Modò, inquit Iacobus de partibus non minimus inter antiquos scriptores Latinos supra Auic. f. 2. 1. summa prima doctrina secunda cap. 16. si possent scaturigines alicuius putei super replere ipsum puteum, & euomere foras aquam, iam non esset puteus, sed Fons viuus nominandus. quibus sic stantibus relinquo considerandũ alijs Doctoribus, An puteus supradictus Lixiniani, cũ ipsius aqua medicata, continuè effluat, & euomatur quodammodo per riuulos illos subterraneos in aliam foueam artificialem, quando excedit suam mensuram brachiorũ decem & in magna copia possit nominari Fons viuus nec ne?

De luto Barboliorum medicamentoso. Cap. XXXII.

PROCVL à balneo putei medicati Lixiniani, per spatium triũ milliarium adest monticulus, seu collis quidam altior, & magis abruptus in villa Berzoræ, vbi terra seu solum in vna parte horridũ, desertumq; est, argilosum, & cineritij coloris, prope quendam riuum. Dicebat Plinius lib. 31. cap. 7. Omnis locus, in quo adest salsedo, sterilis est, nihilque producit, non enim nutrit sal plantas: Propè & contigua est terra fertilis, cum feratur & triticum, & alia semina opportuna, ac vuæ colligantur optimæ, adsunt prata contigua, sicut postea circum circa terra ad omnia est vtilis; ridet florenti herba miro modo facies decora campestris, dum proximum solum generet sterilem, nutriat pariter quosdam virores propinquos. In dicta planitie sterili, ab vna parte adest vnicum foramen magnum à natura factum, per tot mille annorũ, & à memoria hominum non in eodem loco manens semper, immensæ tamen profunditatis, semper ore plenum, & aqua turbulenta cęnosa salit, ac se ostentat strepitu in spheræ similitudinem, sono magno, vel potius murmure Græce Borborysmon, expulsioné iam iam futuram indicante, iucundum aspectu, vt quilibet hominum illam gratiam desi-

deret

deret videre, & intimo quodam sonitu, ac bombo roborat ac ebullit; salit instar lebetis valde bullientis, cum magno calore; Frigida est aqua, non tamen intensè, turbidaque est vt lixiuium, quando cinis miscetur cum aqua, & ebullit pro componendo lixiuio, & ita plenum est vas ipsum, vt aquæ copiam non capiens, foras eam expellat bulloribus suis, & magno impetu, imminentibus maximè pluuijs. Egregia est istarum rerum conuersio, ac perturbatio, mirificusque motus in hisce rebus agitandis conspicitur: quasi sint diuersæ venæ, & meatus, quos flatus & vapores, modo vna semper via, modo vno, vel altero modo penetrent, excitent, & moueant continue aquas ad Orificium, & foramen illud magnum, ex Alberto Magno lib. 2. T. 2. cap. 12. vbi agit de aquis subterraneis. Neque putet aliquis, ista loca humana arte, & industria fuisse excauata, sunt à natura, vel potius à Deo opifice maximo nobis demonstrata, ac tradita. Insuper sciendum, quod aliqua vorago, siue fouea in illo situ Barboliotum non manet semper, nec perennis est in vno loco, sed ex alio proximiori paulatim resilit, adeo vt fiat noua vorago, & spatium inter vacuum terræ patet, paruum tamen cum magno murmure, & si fieret magna, vt audiui ab habitantibus, propè persentitur rumor, quasi sonus bombardæ ex vehementi flatu concluso in terræ visceribus, atque cauernis, quærenteque semper exitum naturaliter, dum agitantur aquæ, repentè strepitus erumpit, & in quo semel impetum fecit, eò fortius instat, & vrget, spiraculoq; inuento, mirandas ad superficiem edit mutationes: communes enim fortè fortuna aqua & flatus habent cuniculos subterraneos, & modo amplior, modo angustior apparet exitus, iuxta illud Arist. 1. Metheor. cap. vlt. Non semper & omni tempore eadem loca terræ aquosa perseuerant, aut arida sunt, sed permutantur tempore omnia, & secundum ordinem quendam fit circuitus, & vbi nunc mare, hic iterum terra fiet; quare aliquandiu loca aquosa possunt permanere, deinde exsiccantur, ac delentur, & possunt transmutari, ac opus ipsorum habet terminum. Sed hæc facta latent sæpissimè, cum fiant in tempore longissimo ad nostram vitam; & habentur per successionem ætatum, ac per memorationem vnius hominis post alterum; vt sit dicendum, (pro ut supra adnotaui) in toto illo circuitu terrę sterilis adesse subterraneos, variosque canales seu ductus, qui aliquando cęci & obstructi manserunt, sed deobstructi, ac ampliati, noua vorago magna aliquando oritur, ac aperitur ex alio loco; & dũ prima deficit, & amittit humiditatem, redditurque sicca, in illo loco terra paulatim impletur, & tunc arũdines syluestres, iunci, salices, & populi nascuntur. Nec est dubitandũ quod aliquando subita aquarum eruptione accidant illæ voragines supradictæ, si legatur Nicol. Damascenus, & Cardinalis Contarenus 2. lib. de elem. 12. qui multas similes viderunt: Plin. quoque lib. 30. c. 14. Alb. Magn. lib. 2. T. 2. cap. 12. & 13, Agricola lib. 4. & Arist. 1. Metheo.

M 2 cap. 14.

cap. 14. multa ad propositum scribunt, quæ à curiosis legentur. Aliquando etiam, & ex memoria habitantium, & vicinorum renouatur ac aperitur vorago antiqua, ita vt perennis, ac perpetua sit harum aquarum fluxus, quando earum generatio non impeditur intrà viscera terræ, obturatis meatibus ac cuniculis ipsius; hinc vides os illius ebullire grauiter excitatum; & inde murmur continuus persentitur, ac fremitus, vt putes aquam rigentem succẽsu illo suscepisse feruorem. O magnum diuini Magistri & Opificis miraculum, vt naturæ furentis ardores ita ad vtilitatem humani corporis temperet, ac quod in origine, & aspectu oculis nostris mortem dare potest, delectationem aspicienti tribuat, cum in altum vnda prosiliat, & vtenti salutem; sed non tanta delitiosa voluptas acquiritur, quanta blanda Medicina causatur. Balnea ista sunt contrà diuersos morbos corporis attributa, perennitas aquarum intelligenti præstat inditium per ignotas terræ venas occultis meatibus affluere, deinceps in alueos erumpere, & fontis figuram quandam ostendere. Circum circa foueas colligitur lutum medicamentosum, vt omnibus patet, habens in se odorem bituminis ac saporem salsum, pingue est & oleosum, quoniam de facili flamma accenditur, & est simile luto S. Bartholomei in agro Patauino. Fallop. lib. de aquis cap. 8. refert ac nominat aquam cuiusdam fontis, (sed non ponit nomen) in territorio Parmensi vsque adeo bituminosis vaporibus salubribus refertam, vt ex flamma vix sibi admota accendatur, nec potest flamma ipsa in hac aqua accensa extingui alia aqua, vel liquore, sed solum vento, vel panno aliquo. Hęc est aqua Barboliorum, ex qua colligebat, vapores talium aquarum eleuari à vena bituminis bullientis in illis locis subterraneis. Cornelius Tacitus lib. 13. Annal. in fine, refert in quodam loco ignem è terra editum esse, qui extingui non potest contrario elemento, non imbre, non aquis, nec alio liquore, sed vestimentis è corpore direptis, iniectis supra illum ignem. De similibus illis aquis bituminosis agit Plin. lib. 31. cap. 2. nec non Vitruuius lib. 8. cap. 3. & hoc aspicienti patet, dum oculis cernitur bitumen subluteum, cum aliqua splendescentia aquę supernatare. Similis aqua cœnosa, crassa, sulphurea est in agro Senensi ad vicum montis Alceti, ex Baccio lib. 4. cap. 12. quæ administratur in contractionibus neruorum, ligamentisque è vulnere concisis. Teneo aquam istam Barboliorum calefacere, exsiccare, & deobstruere neruos, nec non ipsos euacuare, ac roborare, vt ponenda sit etiam ipsa ad vsum medicinalem insessionis, ac guttæ, veluti aqua de Corsena, si reposita in aliquo vase, seu tinnaculo, dimittatur more Romanorum, donec residentiam fecerit, postea ad diuersos vsus admittatur prout morbus requiret. Ex dictis indicatur, & apparet, mineram & materiam Barboliorum, & aquam vi flatuum conclusorum in cauernis terræ, & abditis locis vehemẽter sursum ad exitum vergentium, semper & confuse deportari, ac aliunde excollati;

ri: persentiuntur vapores fuliginosi, exusti, referentes odorem sulphuris, & bituminis, vnde colligitur hanc aquam in suo principio habere sulphur, cum à longe persentiatur odor; frigida tamen actu est aqua ista, non tñ intensè, quia spiritus subtilissimi ignis subtus in cauernis saxosis ardent, & fomentum habent à materia bituminosa, sed propter distantiã itineris, & profunditatẽ, non valent conseruare calorem; Bitumenq; ac cedit ad sulphuris naturam, sed magis terreum est. Dixi quod aqua ex illa voragine Barboliorum videtur bulliens, propter bombos quos facit, & tamen frigida est; nec hoc debet esse mirum alicui, nam sub ditione ac territorio Senarum ad Pientiam, referente Baccio lib. 4. cap. 6. Lacunosa aqua reperitur, bulliens, & tamen frigida est, sed putida ita, vt aues auersentur à balneo; vtuntur tamen aliqui ad Medicinam, videntes pruriginosam sanare scabiem canibus, equis, & pecoribus, ac vlcera crurum hominum cum vtilitate magna. Similis aqua putida ad scabiem, atque ad vlcera reperitur sub oppido Tabiani, loco Pallauicinorum, in Ducatu Parmensi, quæ fęlices effectus facit, in remouenda ac sananda scabie & hominum, & canum, equorum, pecudum, & aliorum brutorum, vt testantur habitantes, ac alij aduenæ, qui ea continuè per exterius vtuntur cum fructu magno. Scribit Baccius lib. 5. cap. 4. ad viam Aemiliam in agro Parmensi reperiri scrobes aquæ, quæ in vsum Medicinæ à quibusdam probantur, per venas misturæ tum salsæ, tum ferreæ, cum virtute manifestè calida.

Traijcitur aliquando ex industria in voraginem, ac lacunam Barboliorum lignum longum, seu hasta satis longa per rectitudinem, atque communiter obseruatum est; vt ego quoque periculum feci, si non redit citò per similem vel eandem quasi rectitudinem, quòd ibi aliqua causa detinetur, ac moratur, sed ad tempus postea vi flatuum à natura expellitur: si verò cito redit impetu magno, à natura impellitur; ac si esset pilla repercussa; vaporibus enim flatuosis ex locis terræ profundis, & inclusis hoc fieri dicendum est. Quod in toto illo circuitu adsint cauernæ plenæ spirituum ac vaporum flatuosorum apparet, quia pluribus in locis, & vicinis, & remotioribus videntur tumores quidam terræ, & eminentiores & densiores, qui multos spiritus impetu, ac sonitu quodam edunt, vt subinde aquarum venæ per cauernas saltu, ac hiatu erumpant benigne, ac prosiliant. Diuersi sunt tumores in figura, ac magnitudine, in pluribus locis circum circa, paruo interuallo, pro diuersitate vaporum in cuniculis, vel canalibus subterraneis obstructis, ac reseratis. Mox tamen desinit vterque, & aqua, & spiritus ad eruptionẽ, & apertionẽ terræ: & si fodiatur terra, statim prosilit in maiori quantitate, sed citò euanescit, ego numeraui quandoque circum circa voragines magnas, ac profundas valde bullientes, modo dicto distantes ab alia voragine maiori bullienti intensè, duobus, tribus, & pluribus bulloribus continuè perseueran-

seueran-

feuerantibus. A prima namque voragine magna ad alias adſunt prata pulcherrima cum vuis bonis, & aliæ arbores fructiferæ. Sed terræ ſpecies Barboliorum horrida eſt, veluti cinis, & vim fructiferam perdit, quaſi quòd ab illius aquæ ſpiritibus corrumpatur terra, & reddatur ſterilis. Circum circa dictos bullores naturales, lutum lene, pingue, ac molle, redolens ſulphur, ac guſtu modico ſalis, copiosè colligitur in loco decliuiori, & ſupra eum vnctuoſitas quædam bituminoſa conſpicitur, in qua approximata caudella ardenti, de facilè accenditur ignis in ipſo bitumine, diuque perdurat, & à longe conſpicitur, obſcuro præcipue tempore, proſequens, & veluti ſerpens de loco ad locum ratione bituminis. vt ſupra adnotatum fuit. Et cum nullibi amplius appareat, nec exeat aqua dictorum Barboliorum, non ab re forſan dicendum eſt, húc locum ſterilem, coloris cinerei, eſſe principium verum ſubterraneorum canalium, & venarum putei Lixiniani Medicati. Immo teneo quod ſi in illo toto circuitu diuerſis tamen locis fierent putei, ac excauarentur modo profundius, modo ſublimius, quod aquæ Therm. tranſcolatæ è terræ huius diuerſis porris, purgatæ tamen, ac quietæ ſpatio temporis breui medicatæ diuerſi ſaporis inuenirentur, ratione ſalis plus vel minus potentis, & ratione maioris, vel minoris quantitatis mineralium in aqua contentorum, diuerſæ virtutes cognoſcerentur: & ſic haberentur in Ducatu Parmenſi aquæ medicatæ, quæ moderatè calfacerent, quæ moderatè exſiccarent, & poſſent reduci ad vſum medicinalem fęliciſſimo ſucceſſu, ad curandos diuerſos morbos, pro ſalute ægrotantium, ibique poſſet conſtrui fabrica delectabilis, & valde amena, cum omnibus commoditatibus ægrotantium. Sic Frigimelica, & Bellacatus, aliàs Medici excellentiſſimi Patauini periculum fecerunt, de aqua Virginis, ac S. Petri, & aliorum balneorum, referente Fallopio cap. 8. & 19. Vapores bituminis reperti ſupra aquam inficiunt ac reddunt aerem, & habitum illius loci odore ſulphureo ac bituminoſo; cum bitumen ſit ex cinerea, & ſulphurea parte vnitum, ac poſt longos imbres, dum per riuulos manu factos ſuperflua, & altum proſiliens voraginis aqua fluit in riuum quendam, inde in torrentem Terminellæ perſentitur à longe per duo milliaria odor bituminis, ac ſulphuris, & ſpuma quædam oleaginoſa conſpicitur, ac tangitur vnctuoſa, dum impetu propter pluuiam currit aqua in torrentem. Color aquæ voraginum pallidus eſt, cum erumpat aqua turbida, craſſa: ſed ſi retinetur, ac ponatur in vaſis fictilibus, vetrinis dictis, vt Romæ aqua Tyberis, Bononiæ aqua Rheni, Pataui j ac Veneti js aqua Brentæ, & alibi ſeruantur aquæ fluminum clarificatę; & quò diutius manet, tãto exactius tenuatur, ac amittit ſemper aliqualẽ ſalſuginẽ, deponens fęces, vt facit Lixiuium: lutum pingue eſt, lene, oleaginoſum, & habet (vt dictum fuit) modicum ſalis, aluminis, ac ſulphuris ſimul mixtum, licet ſit frigidum actu, & ſupra eum colligatur oleum, petroleum,

ſiue

siue dicas bitumen liquidum, temporis diuturnitate vnitum: potestque asportari, ac continuè asportatur in longinquas, ac diuersas partes, absq; eo, quòd amittat virtutem, cum excauetur, & colligatur frigidum, vt supra quoque de aqua putei Lixiniani dictum fuit, ac caliditatem quandam potentialem in proprio balneo acquisitam retinet, ac diutissime conseruat; & propter hoc iuuat fęlicissime multis morbis. Nec opus est exemplis ac nouis historijs diuersorum nobilium, & aliorum infirmorum, qui discesserunt à balneis sani, derelinquentes crozulas, quas gestabant prius, & ante vsum aquæ & luti medicati Barboliorum, & ego in propria persona mea, causa fracturæ rotulæ genu dextri expertus sum, quod omnibus Medicis Parmēsibus, & toto populo notum est. Verum, quia Thermæ locus appellatur, qui lauandi, sudandive vsibus deputatur, aut calidis aquis, aut fornacibus tantum igne calefactis, Forsan Therma flumen tanquam locus vicinus aquæ Thermarum Barboliorum nomen habuit. At loci nomen ab euentu sortitum est, ipsique impositum nomen le Barboie, quia semper videntur bullire, cum ab aliqua re splendida, vel læta nomina imponantur ex Laurentio Valla.

Nunc virtutes luti huius medicati dicendæ supersunt, & in primis sciendum est, quod lutum hoc Barboliorum habet vim emolliendi partes induratas, solutu difficiles, rigidas, œdemata, callos, durities ortas à materia frigida, compacta ex longo affectu, & morbo circa articulos, & partes neruosas, etiam si essent quasi contracti nerui, non tamen confirmati per longum tempus. Et idem præstat, quod facit lutum D. Bartholomæi in agro Patauino, ac D. Petri, & per consequens calefacit, & roborat partes dictas, refrigeratas, vnde valde proficuum est quotidiana experientia ad articulos confortandos, & corroborandos neruos, qui debiles redditi sunt ex refrigeratione, fractura, luxatione, percussione, casu, & etiam ex uulneribus, in contusis ligamentis, aut similibus causis, vel internis, vel externis. Non negandum etiam, quòd siccando, ac resoluendo non accederet ad naturam luti S. Helenæ, quòd materiam impactā in tendinibus, articulis, & partibus dictis resoluat, ac robur addat partibus dictis. Quare mirum in modum confert podagræ, & dolori pedum, manuum, brachiorum, crurum, coxendico dolori, œdematibus ab humoribus frigidis & humidis. Modus vtendi & aqua, & luto, abundè fuit supra dictus, vt non sit hic locus plura dicendi.

De foueis medicatis Ripæ Altæ. Cap. XXXIII.



A Loco Barboliorum, post horridam saxosamque viam, per locos campestres, ac syluestres, cum inuia sint ferè illa loca, & modo descendentia, modo mōtuosa, deserta, per spatium milliarij versus balnea Lixiniani, occurrit oculis grata planities, inculta, sterilis tamen,

tamen, in qua adsunt aliæ innumeræ foueæ cum buloribus aquæ frigidæ medicamentosæ, sed minus salsæ. Bulores dicti sunt parui, & in foueis maioribus colligitur lutum pingue, bonum ad dictos affectus, sed non ita potens & efficax; nam continet portiunculam salis, & ille mitis est, nam si salis copia ex illis aquis eliceretur, vt antiqui experti sunt, constructis officinis pro conficiendo sale, vt apparet ex quibusdam columnis ligneis supra terram conspicuis, sed vetustatis inuidia demolitis: Ac veteres illius loci per traductionem referunt aliàs ibi salem fuisse fabricatum, & vsque ad hodiernum tempus vocatur planities salsa, adhuc essent in vsu, sed antiqui, & moderni omnino dereliquerunt talem aquam pro conficiendo sale, cum censura sumptus superaret. Teneo ego quod si ibi puteus vnus, vel plures ex factitijs lateribus construerentur, ad eliciendas aquas è vicinis locis, quòd aqua esset medicamentosa, & vtilis ad potum pro sanandis aliquibus morbis, & fęlicissime, moderatè enim calefaceret, moderatè siccaret, ac corroboraret: vnde si timeretur nimia calefactio, ac siccitas aquæ Lixiniani, posset esse in refugium in hisce locis, ad hanc aquam minus salsosam, tam in potu ad imitationem balneorum Patauinorum, vt apud Fallopium, quàm in balneo pro vlceribus crurum, quam pro scabie totius cutis, vt etiam leprosis vtilis esset, si modus poneretur nouaque introductio fieret, & nunc in vicinis posset conseruari, & experiri.

Post hanc planitiem paulatim sequitur agrorum fertilis cultura, ex amenis locis, & campis fertilissimis; & in via publica lata ab vno latere adest fons perennis limpidissimæ aquæ dulcis, & sic perspicuus emanat liquor, vt vacuum putes locum, quem non dubitas esse plenissimum; hic perlucidus vsque ad fundum patet, ornatus est lapide marmoreo, rubro, rotundo, in quo aqua detinetur, nec vllo tempore deficit aqua, sed semper adsunt quinque & plura brachia aquæ pro potu. O quanto honore extollendus esset locus iste, in quo natura posuit fontem viuum, limpidissimum; ac frigidum aquæ dulcis, Aestate hominibus, & iumentis sine noxa suauissimum, ac necessarium, de quo scribere pro nunc mihi non est animus; dicens tamen quod amenitas vndique est agrorum cum vuis bonis, & aere saluberrimo.

Quid sit obseruandum in fine cuiuslibet vsus Therm. Cap. XXXIV.



SICVTI laborantes morbis longis, diuturnisque affectionibus, ad balnea accedentes, vel ratione curationis, vel meliorationis, aut præseruationis gratia, ne in deterius labantur, abstinere debent, quamprimum perueniunt ad Thermas, illis vti propter

pter motum itineris, si sunt imbecilles, sed quiescere vno aut altero die, considerando quid sibi sit opportunum, non respicientes nec ad impensas, nec ad res domesticas, sed solum ad vtilitatem suæ valetudinis secundum conditionem sui status, ac personæ suæ; sic etiam cum à loco Thermarum discedere volunt, ab omni vsu desistendum, per biduum ad minus ante, & in itinere quod facient, non defatigari, cauendo à sole, pluuia, & ab alijs quæ possunt causare mala; neque etiam postea omnino libere viuere velle, quamuis iucunde & hilariter cum amicis, & familiaribus sit conuersandum: neque committendum negotijs con suetis per aliquod temporis spatium, vt viscera, & membra roborata conseruentur. Post vsum ergo aquæ Therm. quouis modo, vel luti me dicati, debet patiens rectam, & bonam per aliquot dies seruare victus rationem, & talem, quali vsus est cum erat ad locum balnei, siue etiam mansisset domi suæ. Hæc autem sit, quæ cum ratione robur addat visceribus, & membris, vel quæ virtutem aquæ in partibus indigentibus conseruare possit; pauci enim sunt, qui in ipso statim balneo quouis modo administrato, vel ex ipso luto insignem cognoscant, ac sentiant vti litatem, ac iuuamentum, sed tantum cum in dies robur illius partis euadit fortius, & robustius, ob facultatem aquæ in membris & visceribus relictam, & semper tantò debet eis vti, quantò sibi videtur recipere iuuamentum. Sic alij citius, alij tardius cognoscunt ac recipiunt iuuamentum pro affectus magnitudine, & pro recta victus ratione postea seruata; longo enim tempore curantur semper vitia, quæ longo tempore sunt contracta & passa, & è contra quæ breui tempore, breui: sicut etiam quæ à copiosa materia cum aliqua etiã diuersa qualitate producuntur, & generantur ad mentem Hippocr. quare ægrotantes, & qui vsi fuerunt aliquo modo his balneis, & alijs, non sibi indulgeant in victus ratione, & alijs rebus non naturalibus, nisi post quadraginta dies, cum sit vltimus terminus motiuorum naturæ in quibusdam morbis, & hominum, & bruiorum ex Hippocr. 6. aphorism. 49. Cum discedunt à loco Therm. non multum laborent, sed mediocritatem seruent in itinere, atque vitent solem, ventos, pluuiam, & omnem lassitudinem, iuxta il lud Hippocr. labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria; recordantes etiam quod Thermæ aliquibus semel, alijs, nisi secundo & tertio anno reiterentur, non videntur iuuare iuxta communem Medicorum sententiam, quòd ea quæ semel administrata iuuant, ea sæpius repetita sanant. Bene verũ est, quod semper intra quadraginta dies ab om ni vsu balnei medicati, & Therm. patiens persentiet aliquod iuuamentum, ob facultatem, & virtutem aquarum in membris ac visceribus re lictam. In ceteris D.O.M. gratias agant, pro infinitis virtutibus, quas abundanter & cumulate tribuit aquis istis Lixiniani lutoque Barboliorum & Ripæ Altæ, & similibus. Immo teneo (vt supra quoque dixi) si

N fode-

foderetur in aliqua parte diligenter, ac profunde locus ille Barboliorum; puteusque, seu putei construerentur, quòd aqua potabilis inueniretur ad vsum Medicũ. Et posset parari, & edificari balneum Thermale medicatum illustre, vt ita dicam, ac variȩ possent fieri temperaturæ ipsarũ aquarum, & separatæ pro masculis ac fȩminis, distinctis, parietibus, in quibus & corpora infunderentur, & duccia pararetur, & noui ritus introducerentur de luto, pro sanandis diuersis morbis. Et sic erit finis huius tractatus, cum mihi videatur abundè ostēdisse balneorum dictorum in Ducatu Parmensi, naturam, facultatem, ac diuersos vsus, ratione, experientia, & quotidiano vsu confirmatos. Quæ omnia libenter subijcio sapientibus, & relinquo consideranda studiosis, qui desiderio iuuandi, & ore, & forsan calamo in dies alios docebunt alia, de balneorum institutione, secundum praxim rituum nouorum pro temporaneo refugio morborum, ad laudem O. Dei.





LECTORI STVDIOSO.

NE Fallopp. ſuis priuetur laboribus, & vt guſtum legenti donemus, pro corróboratione multorum ſupradictorum, placuit apponere quandam reſponſionem Medico noſtro datam, cum originale manu propria Falloppij ſcriptum apud me extaret à paucis viſum; legas ergo & delectaberis amicæ.

Reſponſio de obſtructionibus ingentibus circa meſenterium, à materia varia factis, Excellentiſſimo ac Doctiſſimo artium, & Medicinæ Doctori D. Philippo Banzollæ Parmenſi, Domino ſuo obſeruandiſſimo, Gabrielis Falloppij, nunc primum edita à Hieronymo Zunthio.

MORBOSAS affectiones, mi Doctiſſime Philippe, quibus laborat Vrbanus, perfecto penicillo omnibus ſuis coloribus mihi ita depinxiſti, vt nihil diligentius, neque exquiſitius mea ſententia explicari poſſit. Verũ ego ita parum ingenio valeo, vt nondum benè aſſequi poſſim dictarum affectionum naturam. Non enim dubito mictum ſanguinis aliquando adeſſe, pubis, ilei, renisque dextri dolorem; neque adhuc ſum anceps, quòd tota fermè affectio, quæ grauiter vrget, in hypochondrio dextro ſit; ſed cur fiant dolores iſti, & qui morbi ipſos excitent, adhuc penitùs non cognoſco. Nam, vt à ſuperioribus incipiam, dolor ingens, atque intolerabilis, ſpetie verò pungens in hypochondrio dextro, cogit me, vt non credam ipſius cauſam eſſe ſcirrhum in quacunque volueris parte hepatis collocatum: Deinde cum ingens fuerit ſcirrhus, ſemperque rebellior ſit effectus, miror cur tandem non ſuperuenerit hepatis imbecillitas, cum adfuerint manifeſtiſſima ſigna coniunctæ inflammationis, aut ſaltem aquæ intercutis aliquod genus non

N 2 ince-

inceperit; hæc impediunt, vt minime credam scirrhum esse, qui cruciatus hos faciat, sed potius tumorem aliquem malum in mesenterio iuxta hepar obortum, qui ad emulgentem dextrã, renemq; ipsum pertingens hoc faciat, vel potius esse obstructiones insignes, & maximas à materia varia factas, (quod verisimilius mihi videtur) quibus succedant maximæ tensiones, quæ scirrhum repræsentant, atque cruciatus maximi; credoque ratione exusti sanguinis, vel alterius humoris retenti, qui feruens ob obstructionem, nunc in partem hanc, vt exitum inueniat, nunc in aliam à natura propellitur, posse hæc omnia fieri. Febris illa proritatio ita à feruore humorum obstructorum, vti ab inflammatione hepatis fieri potest. De sanguinis mictu non habeo quid certo dicam, cum & ratione calculi existentis in renibus, cui homo aliàs arthriticus, vel podagricus obnoxius facillime esse potest, fortasse id proueniat, vel ab vlcere, vel etiam quod sponte natura copiam mali sanguinis per illas vias expurget, quod minime credo, cum hoc sanatio non indicet; quoniam non audio ad mictum sanguinis, dolorum aut morbi quietem aliquam successisse. Quare cum præsens esse non possim, atque affectum ventrem tangere, cumq; Hip. testimonio occultarum partium morbi cognitu difficiles sint, quid aut confirmem, aut contra ea quæ à te doctissimè scripta sunt, dicam, nõ habeo; cumque eiusmodi senis authoritate pateat, quod cognito morbo, facilis est, dum sit medicabilis, medicinæ inuentio. Si nego morbum, ignorauero procul omni dubio medicinam certam, qua hic tolli possit, nec eam proponam; hoc dico doctissime Philippe excusationis gratia, quoniam si vos Doctissimi Medici præsentes atque exercitatissimi in affectu ipso titubatis, eandem hanc conditionem mihi condonare debetis, quod autem sententiæ vestræ habent in hoc negorio, colligo ego ex hoc, quod supponitis, morbum esse scirrhum, atque scirrhum non confirmatum, sed medicabilem, imponitisq; medicamenta experimento, & arte probatissima atque opportunè imponitis, & nihilo secius, morbus non sanatur, sed augetur potius. Quid igitur dicam, nisi quòd istius morbi hæc non est Medicina, cumque cognito nota sit medicina, sequitur mea sententia morbum esse ignotum. Tecum liberè loquor, pro eo amore, qui inter nos solidissimus pluribus annis iam coaluit, nollemque quòd meam hanc epistolam alijs doctissimis viris ostenderes, quoniam tali ratione cum ipsis minime agendum est; teq; vnum hoc vt mihi concedas obsecro. Sed ad rem rediens, ingenuè fateor, rem digito nõ tango, neque quæ sit ratio istorum affectuum apertissimè agnosco; atque vt scirrhi alicuius præsentiam minime negandam esse credo, ita quoque ab affectũ ipsius mesenterij maiorẽ partem symptomatũ prouenire opinor: hocq; coniectura potius, quam demonstratione facio. Quare statuamus obstructiones ingentes adesse, ad quas maior horum symptomatum pars succedat; hæ nisi tollantur, semper feruorem, aut maiorem efficient, aut hũc

factum

factum conseruabunt, semperque renis atque totius ilei dextri dolorem ob humorum redundantiam augebunt; scirrhum, si quis adest in hepate, aut in mesenterio semper irritabunt; sique vesica fellea, aut copiose collectam bilem, aut concretum calculum contineat, hunc, atque illam subinde obstructiones dictæ augebunt; quare hæ (vt dixi) tollendæ sunt; plurima sunt hucusque facta, atque secundum artem, quæ opportuna vi debantur, credoque pauca esse prætermissa, atque ideo adhuc pauciora à me requiruntur, quæ quidem minime communia sint, neque leuia. Ego, vt satisfaciam, hæc in medium proferam, non mihi quidem ipsi, sed tibi, atque ardentissimo ægrotantis desiderio. Primum erit ius galli antiqui, in quo maxima vis est attenuandi, discutiendi, aperiendique, sine aliqua virium dissolutione, hoc ego exhiberem non vnius galli tantum, sed duorum, ac trium quoque, si è re esse videretur. Et quoniam duum generum indicationes habemus, alterandi scilicet, atque euacuandi, vellem ego ex vna hac fidelia geminos (vti ait adagium) parietes inficere. Quare ventrem exenteratum galli explerē ijs, quæ primas tãtum venas, atque ijs, quæ habent magnam vim contemperandi caloris; hæc essent endiuiæ, cichorei, sonchi, atque acetosæ folia, vel semina; præterea rhabarb. folia senæ, polypodium, carthami semen, atque tandem epithymum. His ego explerem, addito sale, ventrem galli, decoqueremque (vt docet Mesues, vel Dioscorides) ac quotidie exhiberem, vel purum, vel cum oximellite, vel cum syrupo de pomis, aut alio simili. Si hoc minimè sanaretur, ad tollendas has easdem obstructiones, atque temperandum feruorem, cum multa hydropis adsit suspicio, ego, quamuis non possit agitari motu, exhiberem aquas Thermarum primò quidem duobus diebus Aquarianas, mensura octo communium cyathorū, quibus, vt facilius penetrarent, adderē primo cyatho vnciam vnam cū dimidia mannæ; post duos, aut tres dies has in Lucanas della villa vocatas mutarem, quoniam dum hæ pertranseant, abluendo, detergendoque at que cōtemperando, optimè satisfacient; sique pluribus vicibus Aquarianæ exhibendę viderentur, laudo. Scio quòd ratione febris, tempestatis, atque immobilitatis ipsius corporis, vsus dictarum aquarum omnibus non probabitur; verum, cum febris ipsa lenta admodum iam sit, tempestasque minime gelu rigeat, atque si rigeret camino corrigi possit, & propterea cum aditum manna ratione motus subeat, quia exitum tentet, ideo has ego non abhorrerem; sique hic esset æger, nostras has media etiam Hyeme experimento nixus, hacque coactus necessitate exhiberem. His tentatis, si non succedat sanatio, quæ tamen necessariò mea sententia succedet, deuenirem ad potum decocti salsæ pariliæ, quod conficerē primum ex iure pulli, addito cichoreo, deinde ex aqua; inciperemque ab ipso syrupo, ac tandem in prandio etiam & cęna eundem potum exhiberem. Nam minime dubito à medicamento robustissimo, in

quo

quo maxima attenuandi, ac discutiendi vis inest, & obstructiones, & scirrhum posse tolli: quòd si huic decocto, filicis, rusciique, radices, atque agrimoniæ, & citrach folia addenda viderentur, multum placeret, placeret quoque & purum; post hæc antidotus magna non displiceret, veluti Mithridatica, cum aliqua portiuncula diarrhodonis Abb. admisceretur, & zucchari boraginati, ne ita habitum siccaret, à quo lapsu etiã conseruare possemus, statim exhibito iure post antidotum. Si autem per exteriora aliquid esset tentandum, ego à resolutorio oleo, admixto rosaceo, non recederem, tenesque perpetuò rosaceo, & violaceo cerato inungerem; aliquando plurimo lacte calido perfunderem, atque ileon, & inguen oleo rosaceo, & amygdalino calido ex spongia fouerem. Clystere idem amygdalinum, & rosaceum oleum infunderem, atque aliquando lac bubulum pinguissimum. Tantaque apud me in existimatione est lac in sedandis doloribus, atque affectibus renum, quòd, nisi timerem obstructiones, exhibendum censerem: verum ijs quibus ilia murmurant, & hypocondria suspenduntur, atque obstructa sunt, minimè conuenit; quod si & inde aliquod opus esset quærendum, serum caprinum non improbarem, atque idem fortasse chalybeatum, quod exhiberetur in multa quantitate, quatuor aut quinque librarum, manna admixtum in principio: nam cum tenuius sit, atque detergat, abluatque, non solum leniendo proderit, sed etiam aperiet dissipatis obstructionibus: istudq; exactius faciet, si multum coquatur cum cichorea, & fumaria. Hæc sunt doctissime Philippe, quæ in dubia huius morbi cognitione pro auxilio istius optimi viri afferre possum. Tu, cęterique præstantissimi Medici, qui præsentes adestis, boni consulentes, si opportuna videbuntur, ad experimentum reuocare poteritis; sin minus tanquam minime proposita reijciatis. Tuque vale, meque, vt semper fecisti, ama, atque sine aliqua exceptione, si quid pro te possum, opera mea vtaris, & doctissimos hos Medicos nomine meo salutare iubeo. Patauij 22. Octob. MDLXI.

Tui amantissimus æque ac addictissimus
Gabriel Falloppius.

F. Seraphinus Cruceus Mediol. Ord. S. Aug.
Obs. Lomb. Corrector Venetijs.